PALÆSTRA ORATORIA

Siue

Imitatio Ciceronis, facta per quatuor Orationes in L. Sergium Catilinam, eique additus modus imitandi Ciceronem, & quatenus ex aliquot Ciceronis Orationibus, leuiter aliquis exercitatus, plurimas Orationes deducere possit.

AVTHORE
JOANNE JNNOCENTIO PETRICIO,
Medico, Historiographo, atque in celeberrima Academia Cracouiensi Oratore Tyliciano.

Impensis ex fundatione perpetuâ Generosi Bartholomæi Novvodvvorski, Equitis Melitensis, Ord: S. Ioannis Baptistæ Hierosolimitani, Sacræ R. M. Aulici & Rotmagistri.

CRACOVIÆ.
Ex Officina Typographica Francisci Cæsarij, Anno Domini 1624.

JN STEMMA.

S. L.

C. W.

P. R.

S. S.

B. D. C.



Non ita luxuriant ſtagnantia flumina Nili,
Et ſeptem geminis arua refuſa vadis.
Vt Domus hæc COMITVM, virtutum quam alluit
Exuperat magnos Marte Togaq; viros. (æquor.
Quin maior COMITVM quàm Nili gloria: Nilus
Deficit; æternùm ſed viget iſta Domus.

M. Ioannes Ludouicus Skrobkowicius.

Ill^mo Comiti ac Domino,

D. STANISLAO

LVBOMIRSCIO

Comiti in Visnicz,

SVPREMO REGNI POLONIÆ POCILLATORI: SANDOMIRIEN: SCEPVSIEN: Bialocerkieuien: Dobczycen:&c.&c. Capitaneo.

Ioannes Innocentius Petricius, S. & F.

NON peccaui, COMES ILLVSTR: etiamsi ad magnitudinem Tuam cũ leuiori hac opellâ diu antea resistens, nũc tamẽ velut magnâ temeritate in eius solem prodeo. Nam & preciosa videntur quæ tholis vestris appenduntur, & mihi non integrum fuit, alium huic libello quàm Te patronum adoptare. Armorum in eo strepitus, turmæ Tuæ militares, bellum Turcicum, & Tu qui reddita pace nos iam exarmasti, armatus adhuc es: ista nonne nisi in Tuum poterant venire nomen? Quanquam, ne erra, non imago hic perfecta rerum à Te gestarum, sed reducto aliquantùm velo, tanquam in tabula reuelatur historiæ parerga. Honor te alius annalium, non hæc breuis scriptio manet.. Illic te cum omnibus Tuis virtutibus non minorem omnis posteritas suspiciet, quàm præsentes miramur: hic neque ex integro, tamen

men velut ex veterum instituto separatim sola Tua tangitur fortitudo, solus monstratur triumphus. Etenim quamuis non minorem cæteræ Tuæ virtutes mereātur laudem, ignosce tamen, si magis animis insedit nostris, salus publica & patria per Te seruata. Nam & tuis in oculis non prius victoria quàm mors stetit. Vidimus hanc passim in sagis vestris triūphantem. Audiuimus è proximò funera duorum Ferdinandi imperatorum, neq; longo sanè interuallo totidē Ducum nostrorum casus sensimus; nescio & Tu si cito non vicisses an non eodem perijsses fato. Hoc igitur nunc in Te miramur, hoc narramus & nobis gratulamur, quòd non errauimus, sed Te elegimus, qui solus vinceres, & quicquid longi odij furor in Te & nos instruxerat, felici cōgressione consumeres. Agnoscimus sanè per omnia vim & regimen Numinis, sed Te quoque eidem admotum sensimus, atq; Deus hæc quidem omnia nobis præstitit, Tu tamen ei manus commodasti. Quamobrem COMES ILLVSTR: quanquam in transcursu ac de uia, tamen hic litatum est virtuti Tuæ, neque fas erat, quicquid Tuum esset, velut facultates patrimonij Tibi paratas alteri relinquere. Equidem res minus magnitudine Tua digna est, quâ saltem interea si deuotæ Tibi meæ mentis testimonium reliquero, promitto, quicquid posthac fecero, minus ignosces mihi.

ORATIO I.

Panegyricus
SIGISMVNDO VLADISLAO PRINCIPI:

Ad imitationem Quartæ.

VIdeo VLADISLAE PRINCEPS immenſum quoddam & infinitum aduentu Tuo exoriri gaudium: video triumphum & adoream Tuam militarem, nouis circumfuſam per regnum reſonare palilijs. Eſt nimium neſcio quantum iucunda omnibus, & dulcis victoriæ Tuæ memoria; ſed per deos immortales, cùm pericula Tua reuoluimus obliti lætitiæ, pro Te adhuc in ſecuritate timemus, & ad publicam querelam reuocamus inuſitatam Panegyrim. Nobis quidem ſi hæc conditio vitæ data eſt, vt omnes labores, omnes difficultates & pericula pro Principibus perferamus, magis expediebat vt moreremur pro Te, quàm vt periclitaremur Tecum, dummodo feciſſe in Te orbitatem patriæ non videremur. Tu es VLADISLAE ille, cuius non fata, quæ

Tibi priuati securitatem abstulerunt, non fortuna, magno nomini & conatibus inuid a, non felicitas post experimentum raro deinde secunda, non denique locus is, quo properasti nostrorum Ducum sanguine cruentus, vacuus mortis insidijs atque periculis fuit. Tu Te paruulum statim ex regia cum Patre in campum transtulisti, Tu paternis bellis innutritus inter discursus armorum adoleuisti, Tu proprio discrimine nouas huic regno prouincias quæsiuisti: actum esset de nobis, si pro cōmodo ciuium opus foret semper periculo Principum. An verò hanc Tibi dari sortem à dijs immortalibus optasti, vt amotus ab oculis Tuorum, inter supremos anhelitus, non sollicita asidentium ministeria, non madentia lachrymis oscula, non magnis profundisque suspirijs excussos sæpius amplexus, non denique de Tuo pallente vultu, tristia ab alijs imitari cadauera respiceres? Si Tibi hæc ratio bellorum erat nouum adhuc crimen agnoscimus, quod Te toties ad iniuriam pietatis misimus. Etenim quanquam tollerabilior esse absentium videatur languor, felicior tamē is dolor est, qui cum oculis transigitur, magnumq; habet pietas solatium, quod quem post omnia officia morientem videt, credit se non perdere nisi fato. Quare VLADISLAE Princeps, placeas licet nobis victoria Tua, tamen in timore de Te etiamnum dubitamus, in amore præsentem videntes Te adhuc desideramus, simulq; velut nunc iterum eodem reuertentem retinentes, publica voce oramus: PRÆSTA nobis eandem fidem

dem qua Te periculis credidisti. Nam primùm sperare debemus, à Tuis auspicijs errare non posse victoriam: deinde si quid obtigerit, æquo animo paratoq; moriemur. Neque enim Tibi aut morte persolui potest, à quo habemus vitam, aut vita sola referre fas est, cui debemus mortem, cùm sæpe etiam à bonis ciuibus ea contingat gratia & malo principi. Quod si tamen Te rapit in aciem, aut ista persuasio, vt audacissimum & fortissimum facias Tua præsentia & exemplo militem, aut illa dulcedo gloriæ quæ domesticis incitamentis animum Tuum assidue inflammat & erigit, cum mater ex Tuo pectore Constantiam, soror ex vultu & indole, qualis aliquando strenuus videri adspiciq́ue soles, fratres ex tuis manibus exemplum, deniq; ex toto Te, an iam à sua disciplina maturueris virtuti prospectat senex Pater? Quicquid horum est, si non inuides, ijdem erunt stimuli nostri, & istud insuper accedet, quod Tu etiam à nobis aliquid expectabis: alias, ne ignora, vnũ nos timidiores faciet, si Te nobiscum habebimus. Quare VLADISLAE Princeps, differ nunc ardorem istum, quiesce tantisper, circumspice omnes procellas, quę impendent nisi bene deliberas. Non Te Moschouiticus ille tyrannus, iuri gentium, missisq; ad Demetrium legatis manus inijciens, non eodem scelere contaminatus populus, spectatum ex contubernio patris pænas suas, non denique illæ Tuæ prouinciæ, ad bellũ atque adeo debitam post patrem de se victoriam vocant. Sed exurgit is, qui quantum habet contra omne

 genus

genus humanum irarum, quantum circa ſe terrorum, quantum extra maria ac pene terminos ſolis populorum, totum id in caput trahit Tuum, ac ne qua pereat belli hora præceps currit. Strepunt arma, tubæ, ferrũ. Mouetur Oriens, armantur, qui vix vnquam tractabãt arma populi, Valachia inſolito virorum equorumq́ue pondere completur, cæſus illic Zolkieuius exemplar jam fati Tui ſpectatur. Id initum conſilium eſt, vt interfectis omnibus, nemo ne ad deplorandum quidem populi Poloni nomen, atque ad lamentandam tanti regni calamitatem relinquatur. I nũc VLADISLAEi, collige omnes ſpes Tuas, promitte nobis ſecuritatem, alius exitus affectus noſtri eſt, victorẽ etiam te ſperare timemus. Primum quod inuitis quoq; incurrit in animos Oſmani ferocia, potentia, Tua cum illo iuuenta velut in ſupremum diſcrimen comparata, deinde terra quam petis ſæpius noſtrorum ſanguine infecta infauſtaq́ue: tum nondum deterſa oculis fortiſsimorum virorum ducumq́ue cædes aut captiuitas: adhæc incerti caſus bellorum, ſortes hominum: quem deinde ſcire mortalium, vtrius nunc euentus, vtrius fortunæ bello iuuenis permitteris? rediturumne Te aliquando cum victore exercitu, an vltimum iam proſequentes videamus? Talem vt audis cum gaudio attulit nobis timorem aduentus Tuus: iraſcimur quoque Tibi, & tamen ad extremum Te laudare neceſſe eſt. Iam enim intelleximus ſolum Te potuiſſe vincere, qui ſolus ad hæc potuiſti ſic audacter ire. Sed adhuc ego inſtitui VLAdiſlae,

DISLAE, tanquam integrum referre, & de bello quanti intererat Te iuisse, & de reditu quanti nobis constitit Te vicisse. Illud quod Tuæ gloriæ primum fuit prædicam. Ego omnium ciuium voce oculisque Te tanto tamque horribili bello signari ducem iam pridē videbam. Sed illud tantum intra spes suas quemque dicere de Te audiebam, Victor is esset. Cùm tu istud quò nostra vota tendebant repente occupasti, susceptaque sponte salutis nostræ cura, hoc maximum nobis præstitisti, quod Te neque rogauimus. Quo quidem tempore quod iudicium de Te, qui sermones hominū, quæ libertas precandi fuerit, audi. Commota sedibus suis Turcarum regna Te in bellum vocant: dignus qui eas, & aliquando vt Moschorum mereare. Prouocat rerum alibi secundarum insolentia inflatus Osmanus: Tu ab ipsis Imperatoribus pridem virtutem auspicatus fuisti. Totus Oriens collatitiam in Te vim comparat: compendiosior tibi victoria erit. Quacunque ratione celeriter Tibi eundum est, antequam hostem acie excedere, quem vix potuimus ad pugnam elicere audias. Video duo in hoc bellum proferri vexilla: vnum Patris cum hoc titulo, PRO TE ET TECVM. alterum Tuum cum alio, PRO GLORIA CRVCIS. In vtroque vtriusq; pietatem & gloriam, vim & victoriam agnosco. Ille simul iuuentæ Tuæ innixus, manibus Tuis, patriam, nos omnes, templa atq; delubra cōmendans, eos nunc à Te repetit, quos aliquando ipse sustulit optimus Pater labores PRO TE ET TECVM: simul

ſimul de vtriſque ſollicitus,non minus cariores habens liberis ciues, ipſe ſe etiam parat in pericula, tam pro Patria & PRO TE quàm TECVM. Tu ad publicas ſpes votaque ab ipſo admotus, quodcunque deinde tulerit fatum,putas Te aut bello habere maturam ætatem pro gloria Patris, aut ingredi maturam mortem PRO GLORIA CRVCIS. Itaque euntis genua tenens, vexillum apprehendentis manus exoſculans, Fortiter (ſic inuicem reddis Patri) mihi nunc liceat facere PRO TE, feci iam TECVM. Neque enim vlla in futurum timuiſti fata, quæ antea ſolus & cùm Patre exploraſti. Itaque lætus vexillum illud accipis PRO GLORIA CRVCIS. Equidem habere VLADISLAE videbatur hæc Tua teſſera, ſiue eam à longe oſtendiſſes ſecuritatem, ſiue in aciem miſiſſes victoriam, niſi quod magis Tibi placeat illud AVT CVM HAC AVT IN HAC. Vnde viam ingredientē, non equus Te ſed triumphalis currus, non pericula ſed ſecunda omnia, non campus & arena, ſed aſyllum & triumphalis ara expectat, quin ſtatim ipſæ Te deorum hominumq; omnes religiones, omnes ſanctitates accipiunt. Ergo macte virtute iuuenis feſtina; trophæum iſtud quod ſumpſiſti multorũ pridem eſt gentium ſpoliis onuſtum: feſtina; maiorem multo nunc fortunam ſequeris Crucis, quam audiſti in Cæſare: feſtina; illud Tibi nunc cœleſte carmen & omen præit, HOC SIGNO VINCES. Ita Conſtantinus ille Maxentio terrorem ſupremumq; fatum daturus non ipſum prius quam toruos & truces eius oculos

culos

culos hoc ſigno fregit. Et vero VLADISLAE Princeps omen Te hoc prius an regnum defecerit vide. Si intra limites ac velut domeſticæ fortunæ ſinum conſtitiſſes, vbi plurium exempla & incitamenta circa Te fuiſſent, minus fortaſſe nobis mirum fuiſſet etiamſi inter maxima retuliſſes nihil victria minus, nunc illud Te conſecutum eſſe ſcito, quod ita communem gloriam ſicut regnum egreſſus es. Habuimus enim Te quoque in Moſchouia, ſed cui ab aduentu Tuo & male antea cum Patre experta fortuna non aliud ſuperfuit, quam vt ſtatim timeret, quæ quantumuis potens vix ab aliquo timebatur. Intellectum eſt quantus in Valachiam ire debueris, cum maior redire non poſſes, præſertim ab illis tumulis, à quibus luctus tantum & continua funera numerabamus. Vidimus ſane vt multis rerum ſecundarum gloria contigit, vt ex Valachia præter Te iam diu nulli: illud non vidimus, admirabilius in aliquo an in Te fuerit, immenſam illam barbarrorum vim quod tam cito parua manu viceris an aggredi auſus fueris. Nam iſtud confitendum eſt, quod Te & tunc extra hominum ſortem putauimus, cum extra regnum eſſe audiuimus, & nunc non magis quenquam ſupra Te nouimus, quam antea ſupra Oſmanum vidimus. Item VLADISLAE Princeps virtute Tua colligenda per omnem Valachiæ limitem, perque illas qua fluit Neſter ripas, niſi iam & gloriæ Tuæ nihil ſufficeret quæ omnes exceſsit limites, & victoriæ nihil deeſſet, quæ ipſos impleuit fluuios. Relaturum me

fortaſſe

fortaſſe ſperaſti, illam immenſam hoſtium Tibi ſuc-cumbentium copiam, illum eorum gemitum, vulnera, cædes, morientium lapſus? Ego verò contra alia referam. Ablata ab hiſce hoſtibus eſt Aſia, occupata magna pars Europæ, correpta Pannonia, conceſsit in prædam Bithynia, Thracia, Syria, preſſa obſidione Vienna, nos quoq; in communi regnorum fortuna aliquot caſtra cum Ducibus perdidimus, iacet adhuc poſt amiſſum exercitum Zolkieuius, breuiter totum accipe; Orbem peruagata victoria VLADISLAE in Te tantùm ſtetit. Nunquam hæc breuiori bello audita eſt maior, cuius ſi tamen ſumma referenda eſt, Oſmanum ſic viuum ſic victum reliquiſti, vt eum Turcæ ferre non potuerint. Itaque ita hoc orbi nouum eſt, vt ſit æternum, ita Tibi primum vt ſit ſupremum, ita Poloniæ vltimum vt deinceps ad omnem victoriam ſit ſempiternum. Quamobrem pro tantis tuis meritis, ſiue Te vt olim Africanos, Macedonicos, de gentium deuictarum titulis adoptiuo ornare velimus nomine, plus iam oſtendis triumphorum quam illorum vnus quiſquam habet titulorum, ſiue ex vetuſto heroum æuo, parem virtuti Tuæ comparemus principem, magis Te in tenera ætate miramur, quam aliquis illorum per vniuerſam laudatur. Quanquam VLADISLAE quod poteſt dignum contingere virtuti Tuæ prœmium? ego enim etiam de omnium ſenſu pronuncio. Nam ita mihi ſalua Republica perfrui cum omnibus liceat, vt cum omnia bellorum & hoſtium genera Tibi cedunt,

ex

cedunt ex omni etiam memoria tradita literis virtutũ monumenta. Videre enim videor regnum hoc vrbeſq; vniuerſas, antemurale & propugnacula Chriſtianorum, ſubito vno incendio concidentia, cerno animo ſepultam patriam, miſeros atque inſepultos aceruos ciuium. Verſatur mihi ante oculos aſpectus Oſmani & furor in noſtra cæde bacchantis. Cum verò mihi propoſui dominantes hîc Veſerios, purpuratos Baſſas, cum imperio venire barbaros, tum lamentationem matrumfamilias, tum fugam virginum atque puerorum, ac vexationem ſacrorum & religionum, perhorreſco. Et quia Te pro nobis contra hæc omnia intrepidum miſiſti, magis etiam nos amaſti quàm voluimus. Etenim cum inoffenſo victoriarum curſu, illinc ſuperba Aſia, hinc minax Europa, inde Pontus, atq; immanium animorum duratrix palus Mæotidis, quicquid vſpiam ferorum atque immitium populorum haberent effunderent, quis in iſta ire alius potuit, niſi ille qui ſimul pro nobis paratus erat & mori? Vis enim VLADISLAE ſcire, quando barbari nos, coniuges, liberoſque noſtros trucidare, quando ſingulas vniuſcuiuſq; domos, atque vniuerſum regnum delere, quando in veſtigiis vrbium atq; in cinere huius deflagrati imperij conſiſtere decreuerant? totum accipe, vbi Te primum ſuſtuliſſent. Niſi fortè Cæſar Oſmanus mitior cuipiam viſus eſt, cum ſuam ſibi per galeam ſuprema oſcula dãtem, ſimulque ac ſi perfuſum manantemq; cruore per ſomnum vidiſſet, metu & illecebris pendentem ſeque

retrahentē mulierem complexu excuteret: cum iisdem terroribus nocturna quiete à patre suo agitatus, ad Te tamen properaret. Cui quæ similis audita est obstinatio? quale tunc initum erat delendæ Reipublicæ consilium? Bellum ille non ante suscepit quam se in rabiem colluctantis fati exercuit. Atque illo tempore hic Mustapha patruus eius seriò eum à proposito dehortatus est, & satis constitit fuisse complures, qui cogitationibus eius obuiam ibant dissuadebantq; bellum, sed obstinatione & furore iuuenis correpti, suo exitio cæterorum quoq; consilia & voces consumpserant. Igitur ferus & immanis dum ad euertenda fundamenta huius regni exonerauit classibus maria, iunxit Asiam Europæ, compulit in vnum regnum vniuersum orientem, attribuit nos trucidandos Thracibus, Epyrotis, Bulgaris, Illyricis, cæteros ciues interficiendos Valachis, vrbes inflammandas Ianissarijs, totam Poloniam vastandam diripiendamque Tartaris, quia Tu VLADISLAE obstitisti, primum se Tibi inimicum fecit. Scimus profectò quantum nobis præstiteris, nam & illud nemini dubium est, quod voluisti, non expectasti Patrem; quod non timuisti, non expectasti parem exercitum; quod Te strenuè gessisti, cito cum victoria redijsti. Sed quid ego hæc recolligo, quæ magis in reditu Tuo eminere video? Omnia Tecum restituta, recreata renata sunt VLADISLAE, & quod oculi beneficiū faciunt, cum Te aspicimus, pugnam Tuam reuocamus, renouamus, atque in Tuo vultu videmur Osmanum videre

per-

pereuntem. Omnes Te omni lætitia, omnium ordinum homines, omnium denique ætatum accipiunt. Seipsum virtuti Tuæ obuium triumphus effundit. plena sunt itinera, pleni omnes aditus Tui accessus & viæ. Etenim quamuis iam diu à Te maius quiddam annis Tuis accipimus, nunc tamen hoc summũ fecisti, quod non statim credidimus. Vnde in aduentu Tuo, & ad ea quæ in nullo vidimus, desiderauimus oculos, & ad ea quæ in Te vidimus, desiderauimus fidem. Nemo iam studio suo par est ad Te mirandum, nemo animo suo Tibi ad gratulandum. Omnes dij immortales, quibus gratijs, quibus studijs, quibus gaudijs circa vestigia Tua consistunt? Quid ego hic laudes in Te Patri Tuo factas cõmemorem? qui ita Pater patriæ est, vt Tuus, cui iam tanto amplius per Te, quod sibi filium, nobis Parentem protulit Parentis nomen accreuit. cuius in Te non imaginem tantum vultus, sed magis mẽtis quæ æterna est agnoscimus, illamq; præ alijs ab omnibus gentibus laudatam fortitudinem: nam quamuis nunc non omnes virtutes proferre potes, illud tamen de Te scimus, quod de omnibus didicimus, Vbi vna virtus est, illic omnes adsunt. Pari studio ex lætitia in vota effusi, ad Tuos conuertimur, illudque præcipuũ precamur, vt nos sic ament Tui fratres omnes, quomodo Tu: neque enim ipsis virtutem Tuam in exemplũ dare necesse est, quibus eadem est domus, par indoles, & ante omnia quod Tibi ipsi profuit optimus Pater. Sed reliquam adhuc nostram lætitiam vide. Omnis a-

deſt ingenuorum multitudo etiam tenuiſsimorũ. Quis eſt enim cui non hæc templa, aſpectus vrbis, poſſeſsio libertatis, lux ipſa, hoc deniq; Patriæ ſolum ſit iam dulce atq; iucundum? Operæpretium eſt VLADISLAE militum quoque ſtudia cognoſcere, qui inter victrices Tuas aquilas læti comemorant, quis ſudores tuos hauſerit campus, quæ refectiones Tuas arbores, quis ſomnum ceſpes exceperit, quoties ſtationes circumiuiſti, quoties vigilias obiuiſti, nihilque illis imperaſti, niſi quod cum ipſis antea didiciſti. Sed quid ego huiuſce ordinis homines commemorem, quos priuatæ fortunæ, quos communis Reſpublica, quos deniq; libertas ea quæ dulciſsima eſt, lætos ad Tuum conſpectũ velut ſalutare numen propellit? Te paruuli noſcere, oſtentare iuuenes, mirari ſenes, omnes vltra quam viſus agi poteſt, vultum tuum proſpicere, quærere, ſequi, ſicque ex eo accipere victoriam quaſi vitam. Nemo enim eſt tam fortuna tenui, qui non illum ipſum ſellæ, atque operis & queſtus quotidiani locum, qui non cubile ac lectulum ſuum, qui deniq; non curſum hunc otioſum vitæ per Te iam feliciorem magiſq; iucundum habere videatur. Quæ cùm ita ſint VLADISLAE, iſta in aduentu Tuo facimus, amamus & debemus, eoq; putamus Te & amari magis, quia ſatis nõ poſſumus, & amari minus, quia is affectus maior putatur, quàm Principes amare, principibus debere. Habes ciues vniuerſos ex plurimis periculis atque inſidijs atque ex media morte Tibi deuinctos cum liberaſti.

Omnes

Omnes ordines mente, voluntate, ſtudio, virtute, voce, beneficium Tuum profitentur, quòd nec debere ſufficiunt. Erepta ex facibus & telis impij tyranni patria communis, Tibi ſe, Tibi vitam omnium ciuium, Tibi aras penatium, Tibi omnia deorum templa, atq; delubra, Tibi muros atq; ſuarum vrbium tecta debet. Præterea & nos vitam Tibi noſtram, coniugum & liberorum animam, fortunas omnes, ſedes, focos, deniq; vt nihil Tibi à nobis referri poſſe ſcias omnia debem9. Habes ciues omnes, omnes ordines, vniuerſum populum Polonum ſuis in Te officijs certantem, quæ quãuis in Te conſumpſerit, Tibi tamen omnia debebit. Senſimus nunc quantis laboribus fundatum imperium, quanta virtute ſtabilitam libertatem, quanta deorum liberalitate auctas exaggeratasque fortunas, cum prope iam collapſæ fuerint Tu nobis reſtitueris, hoc tamẽ non ſenſimus, vt paria rependamus, an Tu quoq; nos aliquando in eo poſsis facere felices, neque enim vnquam aut Te ſic amare ſciuimus aut Te ſic amari meruimus. Atq; ego inter circumfuſas Tibi vndiq; gratias, & innumerabiles populi voces, id egi quod ille qui Xerxis enumeraturo copias, poſtremam eamq; minimam partem explicuit: ita quod quidem in omni gratia primum ſed omnium minimum eſt, ſatis tamen explicare non potui, quod debemus. Nunc antequam finem faciam, patere adhuc Te VLADISLAE in Regiam Tuam comitari. Ego tantæ venerationis Regum domos, quantæ olim triumphales veterum fuerant eſſe

 ſcio:

ſcio: in quarum atrijs expreſsi cera maiorum vultus, diſpoſitusq; inter ſuffixa hoſtium arma & ſpolia totus in oculis ſtabat quicunque fuerat familiæ populus. Et vim facti pridem noſti, ſcilicet domus ipſæ intrantes admonebant domeſticæ gloriæ, exprobrabantque imbelli domino illum quem incoleret alienum eſſe triũphum. Sed nullum Tibi VLADISLAE periculum eſt, vt Te intrantem regiam maiorum ornamenta coarguant, atque Tu incurrentem vndique in Tuos oculos maiorum ſplendorem obnubas. Vides illic AVDACES; Tu iam reddidiſti: vides IVSTOS; Te ad exemplum iſtud compoſuiſti: vides PVDICOS; hoc adhuc in tenera ætate habuiſti: vides PROBOS; iſtud à Patre hauſiſti: vides MAGNOS; nihil nunc paruum attuliſti: vides AVGVSTOS; id in Sigiſmundis meruiſti. Sic enim iſtud ab illis cæpit, vt nunquam deſierit, ſic non deſiit vt ſemper proceſſerit, ſic proceſsit vt ex TERTIO in Te fluxerit; ſic fluxit, vt nunquã talis deficere poſsit, qualis Tu es, & quales olim erant Fortes, Felices, Optimi, Maximi. Quanquã hæc nomina ita iam ſunt veſtra, vt qui ea nunc memorat, non minus aliquam virtutem deſignat, quam aliquem SIGISMVNDVM, ſicut non minus Patri Tuo acceſsit, vt ſit TERTIVS SIGISMVNDVS, quàm vt ſit TERTIVS AVGVSTVS; quamuis nulla ipſum nominat virtus, quia pariter poſſederũt omnes. Quare VLADISLAE Princeps, inſer inter Tuorum imagines triumphum Tuũ, admittunt Te in ſuæ gloriæ partem maiores Tui,

ipſi

ipsi Te secum futuris seculis loquendum tradunt, Tibi noua atria & propylea parant, quæ implere spolijs hostium, atque distinguere virtutibus Tuis poteris, ex omnibus modo quæ Tecum affers sit maximum illud, Ne desinas. Te verò SIGISMVNDE PATER, pro Tuo beneficio, quò inter alia id à Te retulimus, vt nobis Dux esset filius Tuus, pro Tua pietate, qua nutanti patriæ, quot habes filios, tot iam promittis manus, pro Tuo amore, quo sic vnum amasti, vt ipse ires tanquam in acie omnes habuisses, pro his inquam rebus omnibus, & pro Tuis alijs singularibus meritis, proque hac quam agnoscimus in conseruando Regno Tua diligentia, quibus Te laudibus, quibus gratijs conueniamus? Totum id Tuum est quicquid diximus, neque nunc minus suam filius ad Te gloriam quam arma refert. Fuerit iste suus ardor, fuerit propria virtus, meminit tamen quo sub Magistro militauit, neq; ad tantam gloriam illi tam citò peruenire licuisset, si sub Te tardè cæpisset. Scimus quantum alibi Tua præsentia iuueni profuisti, sed etiam Tu hoc à nobis scito, quod & nunc cum eo fuisti. Dum enim te laudamus, dum Tua facta memoramus, dum Te iam ipsum venire dicimus, filius ad Te respicit, pugnat, properat, VINCIT.

ORATIO II.

De victoria reportata ex Turcis, eorumq; potentia.

Ad imitationem Secundæ.

TAndem aliquando, Quirites, Turcicum tyrannum concepta iam diu in nos odia voluentem, fastu tonantem, concrepantem iras, nobis atq; toti orbi occasum minitantem, ad Bosphorũ suum vel pepulimus, vel eiecimus, vel tota vi ad nos connitentem regno exclusimus. Abiit, profugit, excessit, euasit. Non tantus iam horror à monstro illo atque prodigio generi humano comparabitur. Atq; is quidem ipse velocior quam profugus alius ex bello, primus domum suam fugam & nuntiũ tulit. Nõ iam ne maria copijs absorbeat, terras exercitu deprimat, solem iaculis surripiat, mundum captiuum trahat pertimescimus. Ferrum ille exhorruit, cũ vix ex sanguine suo emersit. palam nunc cum hoste nõ fabula bellum gessimus. Sine dubio perdidimus hominem magnificeque vicimus, quod amplius sex annorum apparatum minus bimestri victoria sustulimus. Quod verò nusquam machinæ admotæ, quod non inducti

ducti arietes,quod non pulsati quassatique muri,quod ei manus cōstrinximus, quod ipsummet circumscripsimus, quanto tandem illum mœrore afflictum esse, & profligatum putatis? Iacet ille nunc Quirites, & se perculsum atq; abiectum esse sentit, & retorquet profecto sæpe oculos ad hoc regnum, quod ex suis faucibus ereptum esse luget. Quod quidem lætari mihi videtur, quod quem totus tremor mundi sentit, eum vt venit, vidit; vicit. At si quis est talis, quales complures esse intelligo, qui in hoc ipso in quo exultat & triumphat patria nostra, nos vehementer accuset, quod bellum supra fidem hominum nobis felicissimum & maximum fuga potius hostis quàm sanguine finiuim9, non est ista nostra culpa Quirites, sed temporum. Iam pridem cæcus ille in mucrones nostros ibat, iam pridem conatus suos cum antequam nos videret, nuntios de pace mitteret, damnabat. Sed quàm multos fuisse putatis, qui vt tunc si ab armis recessissemus, metu factum fuisse crederent, nos arte bellum elusisse putarēt: ita nunc si ipsum interfecissemus, aut fortunæ quæ plurimum in bello valet imputassent, aut deniq; à nobis magis fortiter quàm prudenter factum improbassent. Ac si regnum nostrum diuturno bello sufficere posse iudicassemus, statim nos Osmano fugam cæde & sanguine interclusissemus. Sed cum videremus, ne gentibus quidē omnibus nostra virtute probata, si vt bella solemus ita ad primum congressum & ipsum sustulissemus; fore tamen vt cōtra iminentia pericula à nemine

iuuaremur, rem huc deduximus, vt semel turpiter viuus fugeret, quàm semper suos mortuus in vindictam ageret. Quem quidem ego hostem, Quirites, viuum emissum esse, quàm vehementer reprehendendum putem, licet hinc intelligatis, quòd illud etiam molestè fero, quod parũ comitatus abierit. Vtinam hanc quoq; nobis famam reliquisset, quòd cum viris fortibus profugisset. Hali-Bassam mihi eduxit, quem pridem pauentem aciem ad Danubium habuerat. Dilauerum & alios quos non tam fides aut fortitudo, quam metus eum diserendi vsq; ad suam fugam tenuerat. Perdidit viros strenuos, fortes, aut quibus ea gloria erit, quod virorum fortium armis manibusque ceciderint. Itaq; ego deinceps illius exercitum præ nostris legionibus, & cum suo Oriente præ ijs copijs quas Hotkeuicius & Lubomirscius comparauerant magnopere contemno, collectum magis ex gentium fabulis quàm viris, elephãtos nobis & camellorum greges, quam hostes obiicientem, mollem, imbellem, pauidum, & stridore belluarum auras tantum fatigantem. qui emissus nobis hanc debuit gloriam, quàm ipse per ignota terrarum vnde venerat sua fuga diffunderet. Scythas quos ad furta & latrocinia restitisse sentimus, quos iam diu impunè toto regno cum ferro & facibus volitare sinimus, latrones Poloniæ, depopulatores prouinciarum, mallẽ vindicta quàm victoria retudissemus: quos adhuc si omittimus, si relinquimus, mementote non tam bellum aliquod esse nobis, quàm hanc pacem pertimescẽdam.

dam. Atq; etiam hoc magis timenda eſt, quod quibus ſpectaculum fuit fugiens dominus ſerui non commouentur. Video ipſos aſſuetos latebris & ſyluis bellum eludere, in ſaltibus ſuis quos vix vnquam armati intrauimus ſpem ponere, in pernicitate ſalutem omnem putare, ſed tantum iam velocitatis vindicta quantum fuga habet, & quà fugere illi, ſequi nos victores poſſum9. Palam nunc fecimus virtutem noſtram. Oſmanus ipſe pertimuit, profugit, hi quid expectant? Næ illi vehementer errant, ſi hanc noſtram lenitatem diuturnam ſperant futuram. Quod expectauimus iam conſecuti ſumus, vt neq; nobis eorum domini pro ipſis obſiſtere queant. Licuit ſi voluiſſemus Oſmanum intra paucos dies conficere, licuit fugientem Conſtantinopolim ſequi, atque in ſua ſede fatigatis ſubſiſtere. Reliquimus, dimiſimus timentem. Id nunc Tartaris concedimus, eant, illum ſequantur, ne permittant miſerum per itinera timere, ſuum hunc comitatum poſt terga reſpicere. Demonſtrabimus iter, non per pontem quem Neſtro impoſuerat profectus eſt, ſed in ipſorum ſedes verſus Mæotidis paludem conuerſus. O fortunatum regnum ſiquidem fædam hanc luem aliquando excuſſerit, vno me hercle Turca depulſo, releuatum mihi & recreatum videtur. Quid enim hic furore & amentia demens intactum intentatumue relinquebat? quid tota Polonia diſcors, quid mobile, quid debile, quid validum ſuis artibus non ſubruebat? quem dolum, quem aſtum, quas technas, quas fraudes, quod ſcelus omit-

tebat? Quę Tartarorum incursio per hosce annos sine illo facta est? quod in regno facinus non per illum? iã verò quis tam varijs artibus potens fuit vt ille? qui alios minis & terrore superbissimè alios donis & promissis flagitiosissimè terrebat alliciebatque. Illud verò quod Cracouiæ vidimus fædum & crudele spectaculũ, num ab eius præstigijs & veneficijs abhorrere videtur? sparsa per publicum per latebras humanorum corpoporum membra, hic manus, illic pedes, alibi nares, digiti, & laniatorum tantum cadauerum informes reliquiæ. Quid? illa violentia ignium, crebra incendia, eoque ipso anno duo haud ignobilia oppida flamma absumta? Nulla non modo Prouincia, sed ne angulus quidem in hoc regno est, neque tam longinquus, neq; tam reconditus, quem ille non aliquo scelere & flagitio peruaserit. Sollicitati fuerunt præmijs facinorosi, missi in omnes partes nuntij, & quo promptior futura videbatur apud discordes religione perfidia, in Ruthenorum regiones plerique rituum sacerdotes. His imperatum fuit, per vrbes, perque Cosacorum contubernia furtim adrepere, Cosacis Kiiouiam, Camenecum, aut quemcunq; sibi præda legissent locum elargiri, aliis tributa dimittere, impunitates promittere, denique nondum victum dono dare imperium. Atque vt diuersa Osmani studia in dissimili ratione perspicere possitis, nemo maiori apparatu iraque velut vltimum delendæ nostrorum genti tot excitas sedibus suis gentes aduersus vnum regnum compulit, nemo ma-

gis

gis anxia ſpe velut adhuc non ſuffecturum, tot militantium numerum duceret, tot technas & fraudes ad id bellum contulit. Idem tamen metus & audaciæ ſimulator, velut aquas & terras populaturus ab omnibus gentibus cum timeret timebatur. Hunc verò ſi ſui iſti fuerint milites ſecuti, ſi aliquando regno pulſi fuerint impurorum hominum fædi greges, ô nos beatos, ô fortunatum regnum, ô præclarum fructum victoriæ noſtræ. Iam enim non ſunt mediocria Tartarorum latrocinia, non tolerandæ & humanæ audaciæ, nunquam requieſcunt à cædibus, ab incendiis, à rapinis, non arma, non acies dirigunt, ſed cùm nec inueniri, nec reſiſtere poſſunt celeritate fugæ hoſtes agunt. Hinc periculum eos iam pridem, timor nuper deſeruit, audacia & inſolentia ipſis maior creſcit. Quod ſi aliquando aut ad prælium elici, aut ſaltem alicubi deprehendi poſſent, auferrent ſane prædam & rapinas, at cum cæde ſua. Hoc verò quis ferre poteſt, bellum quiete, quietē bello, periculis ſecuritatem, pericula fuga inuicem eludi? qui mihi diſtenti carne ferina, inquinati animantium & ciuium ſanguine, corpora & terga contumeliæ Turcarum commodantes, iactant ſpolia & victorias cùm hoſtem nunquam videant. Quibus nefandis contaminatis ſceleribus, rapinis, ſacrilegiis numen deorum aut inſtare iam planè aut certè appropinquare confido: quorum vlciſcendorum ſi rationem & viam aliquando inuenerimus, non breue neſcio quod tempus, ſed multa ſæcula beata propagauerimus Reipublicæ. Nulla eſt

enim natio quam pertimescamus, nullus rex qui bellũ nobis inferre audeat, omnia sunt Regis nostri virtute & fortuna pacata, istud tantum est bellum, istud tantum certamen, iste tantum hostis, aduersus quem stat etiam pro nobis regni fortuna & vltores dij. Hi errantem suisq; latebris suetum tegi non sinent; si inueniri non potest, deprehendi poterit, quacunque ierit ferro & vindictæ iter patebit. Proinde aut quiescant, aut si pacem ferre non possunt, bellum expectent. At etiam sunt Quirites, qui dicunt expectandum nobis fuisse Regem aduenientem cum exercitu. Quod si id tunc cùm in castris eramus suadere voluissent, istos ipsos vt expectassent rogauissemus qui hæc loquũtur. Omnia enim videlicet ad expectandum & ducendum bellum abundè habuimus, commeatum, arma, viros, equos, aut simul ac voluimus domo his suppeditabamur. Quid quod quartodecimo Calendas Octobris, cùm iam ad virgulta internata saxis, & ad quæ sua quenq; cogebat egestas verteremur, in concionem vocati venimus, pleriq; vix ægra morbis sustinentes corpora coram ducibus stetimus, illuuie & squalore enecti, continuis vigiliis pugnisq; confecti, peste, fame, inopia virorum & iumentorum afflicti. Hic deinde tot tantisq; malis oneratus ac obrutus exercitus interrogatus à ducibus, moueri porro loco sterili ac tabe noxio in alium vellet necne? Cùm suarum ictus miseriarum dolore mæstum primo silentium obtinuisset, tandem vno animo & voce vna reclamauit, nec ante paruum illum & inopem

collem

collem deſerturum ſe eſſe dixit, quam vbi non ſupereſſent qui eum hactenus tenuiſſent. Itaque non minus poſtea fortiter manſimus, quàm ſemper dimicauimus, atque inter extrema malorum id præcipuè timuimus, ne noſtra potius laſsitudine quàm virtute hoſtis vinceremur. Quem cùm in dies vrgeremus, cùm obſeſsi in obſidentem maiorem perniciem verteremus, cùm iam eum nō expugnandi modo noſtra caſtra, verum etiam à nouarum cum Rege copiarum aduentu quem nos præſentire non potuimus, in eodem manendi loco ſpes deficeret, breui petentem pacem habuimus. Cùm hæſitaremus, cùm cunctaremur, interea nuntiatum nobis à transfugis eſt, colligi ſarcinas, onerari camellos, abire hoſtem, nec facili cuiuſquam coniectura an non poſtea cum periculum abſcepiſſet reuerſurum, præſertim cum tot millibus cæſis, ſubduceretur ex acie ingens tamen exercitus, arma, ſigna, & ſuper omnia ex damno & ignominia factus ferocior iuuenis imperator. Ergo neminem expectauimus cum per nos tutius finiri bellū poſſe putauimus. Etenim credo Tyrannus ille, quem nulla prodigia, nocturnæ minæ, amicorum conſilia, & cùm Conſtantinopoli moueret, nec trementis terræ monitus ab incæpto in bellum eundi furore tenuit repente veniētis exercitus fama ictus bellum ponere voluiſſet? & nos fortaſſe pacem faciendo, venientibus materiam gloriæ præripere voluimus? O conditionem miſeram, non ſolum vitam, ſed & operam impēdendi pro Republica. Tunc ſi recens exercitus viris,

copijs instructus aduenisset, castra castris contulisset, in aciem prodijsset, vno congressu Turcam vicisset; non ille a nobis antea contusus & debilitatus, non pertinaci paucorum virtute obstupefactus ac perterritus, non de spe conatuque deiectus, sed integer ac propè paruæ nostræ victor manus, nouis demum copiis fractus ac depulsus esse diceretur. Et fuissent qui si hoc prouenisset, nobis non victoriam sed belli moram imputarent, nos nō nostra virtute restitisse, sed aliena ope propè ex faucibus hostiū ereptos fuisse dicerent. Fuisset nobis tanti, Quirites, huius inuidiæ falsæ atque iniquæ tempestatem subire, dummodo à patria grauioris postea belli periculum depelleretur. Diceretur sanè hostis victus esse ab aliis, dummodo in perpetuum quieuisset, sed mihi credite non quieuisset. Nunquam nobis id animi fuit Quirites, vt occupandæ gloriæ causa eum hostem qui tot funerum ac cladium patriæ causa fuit, à nemine quàm à nobis victum esse vellemus, sed tamen tam citò vinci non potuisset, atque illud etiam dubito, vtrum magis nobis pænitendum fuisset ipsum vicisse, an abeuntem reliquisse. Satis fuerit semel quicquid perfecimus expertos esse: næ enim non idem nobis semper ludus ac iocus cum imperito adolescentulo, affectuum iræq; impotenti, consiliorum impatiente, dimicandi rediret, quem diutius militantem ipse euentus instruxisset, necessitas, timor rexisset, & si cætera defuissent hostis docuisset. Illi autem post negatam pacem, si me hercules omnia

contra

contra voluntatem cogitationemq; accidissent, tamen fortunam potius quàm repulsam tentare maluisset. Tunc verò cùm adhuc multorum annorum apparatū, tot à tergo populos, vel ad trahendum bellum satis habuerit, gratulemur nobis potius quòd bellum cum eo finiuerimus, quàm queramur quòd alios non expectauerimus. Sed cur tam diu de hoc bello loquimur? & de eo bello in quo hostis fatetur se esse victum, & qui nisi discordias & vitia nostra in suam gloriā verti posse sperasset, nunquam de suis viribus tantum præsumpsisset. His qui per nostra latera petebantur, ad quos si deflagrassemus transiturum icēdium fuerat, quibus hæc victoria vix credibilis videtur hostem non ostendimus? quem quidem ego pristino iam illo suo impetu & fortunæ ventis quibus immensum intumuerat destitutum ruere, opprimique vt à nobis tunc facilè potuisse, ita ab aliis quoque nunc posse intelligo. Exponam enim vobis Quirites, ex quibus generibus hominum Turcarum copiæ comparētur: deinde in singulis intestinam pestem ac perniciem detegam. Primum genus est eorum, qui ex gente superstitionibus dedita, hoc vaticinio bella ineunt, tanquam ad ipsos imperiū totius orbis peruenire esset necesse. Horum hominum spes est firmissima, voluntas verò & causa impudentissima. Illi prouincias, regna, imperia, mundum se in vinculis habituros sperant, ea tamen fraudibus inuadere non dubitant, quæ sibi fato deberi putant. Quid verò sibi pollicentur? quæ habent perpetua? quid?

ergo capta nuper Valachia, eamque premente nostro exercitu adeo reliquum sacrosanctum fuit, vt cum ea ipsis eripi non potuerit? an quæ non habent parabilia? errant si amplius suo putãt esse incremento locum, vel ex hoc sciant se iam plena & mox recessura fortuna senescere, quod non augescant. Sed hosce homines minime puto pertimescendos, quod aut quæ diuinantur euentu falsa iam esse vident, aut si non vident, magis sua carmina quàm arma videntur mihi in aciem laturi. Alterum genus est eorum, qui quanquam idem somniant, dominationes expetunt, orbe se potituros credũt, in summa cum prioribus spe sunt, nouissima tamen sibi ab aliquo Septentrionis populo imminere augurantur. Quibus hoc præcipiendum videtur, vnum scilicet & idem quod cæteris omnibus, timeant, caueant, ab his oris funestum sibi signum consistere sciant, vocari se iã ad implendum fatale præsagium sentiant. Primum omnium, ærumnas, cædes, populationes, excidia, quibus inuicem fatigantur cogitent: deinde magnam iam creuisse præsenti victoria fortibus viris alacritatem, magnos animos, maximam fiduciam. Deos denique immortales, huic inuicto populo, clarissimo regno, pulcherrimæ regioni, pro tot pollutis templis, violatis altaribus, vltro ipsos ad supplicium & pœnam nobis in manus esse oblaturos. Quod si etiam id, ad quod mihi fato destinati esse videntur effugiant, num illi in gemitu tot gentium & populorum quos nefanda tyrannide premunt, diu se non dicam regnare, sed durare posse spe-

se sperant? non vident se quamvis ab omnibus relinquerentur suis vitiis & immanitate obrui? Tertium genus est eneruatum, opinione hominum robustum; quo ex genere sunt isti Ianissarij, vnicum suo quoque iudicio imbellis gentis robur. Hi sunt homines abrepti ex sinu Christianorum parentum, fædaque eorum superstitione cum militiæ artibus imbuti. Quos ego omnes strenuos olim fuisse viros,& fortissimos milites scio. Sed iam sunt hi homines, qui insperatis repentinisque honoribus supra Turcas elati, magis magisque superbè & insolenter ipsis dominantur, quàm pro ipsis pugnant. Iidem enim honores, quibus abundant, vt incitamentum antea ipsis virtutis, ita nunc soluendæ eiusdem causa fiunt, torpescentibus quoq; Principibus à quorum olim exemplo, ingens his virtus & audacia fuerat. Qui quidem secum etiam ex latebris suis extractos Tartaros in eundem metum & formidinem gẽtibus ostentant. Quos ego vtrosque in eodem genere timidissimorum & fugacissimorum hominum pono. Atque ipsos hoc moneo, desinant furere,nubes cohortium equorumque iactare, id enim iam pridem de illis retulimus experimentum, quod tantum instare cedentibus,contra tendentibus, celeritate seipsos & prælium auferre sciant. Quartum genus est sanè varium mixtũ, atque turba potius & agmen non exercitus. qui libertatem nunquam viderunt, tubarum clangorem, armorumque strepitum inter fabulas tantum audiuerunt: qui partim colendis agris, partim gerendis negotijs,

partim aliter sustentare vitam assueti, multi ex agris & ex vrbibus in bellum cum Cęsar mouetur ire coguntur. Hos ego omnes maius impedimentum bello, quàm auxilium adferre arbitror, quibus neq; in victoria decus vllum est, neque in fuga flagitium, qui vt in periculum veniunt, libertatis ignari vbicunque seruire liceat, orant. Quintum genus est pellicum, spadonum, lenonum, cæterorumque impurorum hominum, à quibus Turcæ diuelli nunquam possunt, quorum consuetudine si quid etiam habeāt ardoris & ferociæ quotidie deterunt. Vltimum autem genus est, non solùm ab oris vnde veniunt, sed etiam à Turcarum spe & perfugio, quorum plerosque toruo vultu, crispo capillo, perustis sole artubus, nudos aut velis amictos vidimus. quorum omnis virtus & belligerandi industria oculis terrendis insumitur. In his gregibus sunt Ægiptij, Syri, Medi, Cadusei, Elimæi, haud paulo mancipiorum meli⁹ propter seruilia ingenia, quàm militū genus. Hi tam horribiles, tam truces, tam inferno aspectu ac nomine, æstū amare assueti, vix leue pallium ad vitandum solem tolerare consueuerunt. quæ tetra colluuies, quomodo sine sanguine iactetur, quomodo pareat videor mihi iam videre. Quid enim sibi isti miseri vellent? num suum secum cælum aut æstum essent in castra ducturi? quemadmodum autem sine istis esse nostris præsertim regionibus possent? vbi tecta niuibus terra cælo est similis, vbi albescentes circa ora concrescunt anhelitus; quemadmodum autem rigentia gelu flumina, concretas in

saxa

ſaxa aquas, niues, tractare pedibus poſſent? niſi idcirco facilius ſe rigorem hyemis toleraturos put..., ...d nudi ſuas terras perambulare conſueuerunt. O bellum Turcarum magnoperè pertimeſcendum, cúm hæ ipſorum ſint cohortes præcipuæ. Conferte nunc Quirites, cum his tam præclaris illorum copijs noſtra quoq; præſidia noſtrosque exercitus. Et primum Tyranno illi præcipiti ac perdito Regem veſtrum vbiuis fortem & felicem opponite. Deinde contra illam ſordidam ac vilem gentium colluuiem florem totius nobilitatis & robur animo conſtituite. Iam verò longo vſu exercitatus miles, duratus omnium rerum patientia exercitus credo ſuffecerat iſti contractæ naufragorum turbæ. Neque verò cæteras copias ornamenta & præſidia noſtra cum illius tyranni præda & rapinis cõferre debeo. Sed ſi omiſsis his rebus omnibus quibus ſuppeditabamur, cauſas ipſas, quæ inter ſe confligebant, conferre velimus, ex eo ipſo antequam manus confereremus, quàm valde iam ipſi iacuerant, intelligere poſſumus. Ex hac enim parte ſtabat à maioribus noſtris virtute partum dominium, illinc rapinæ: hinc clemẽtia, illinc innocentum hominum ſanguis: hinc continentia, illinc libido: hinc ius, illinc iniuria: hinc religio, illinc ſuperſtitio: hinc templorum fanorumq; conſeruatio, illinc deuaſtorum pollutorumque piacula. Denique innocentia, manſuetudo, fortitudo, prudentia, virtutes omnes, certabant cum ſcelere, cum ſuperbia, cum ignauia, cum temeritate, cum vitiis omnibus: poſtremo bona

 cauſa

causa cum perdita, mens sana cum amentia, bona desperatio cum omnium rerum auiditate & auaritia cõfligebat. In huiusmodi certamine ac prælio, nonne etiamsi manus viresque defecissent, Dij ipsi immortales coegissent à tot præclarissimis virtutibus tot tantaq; vitia superari? Quæ cùm ita sint Quirites, quis etiam istud priuatum nostrum bellum, & non publicum nomine omnium gentium susceptum esse dicat? quod ita à nobis gestum est, vt documento orbi Christiano essemus, penes nos ipsos hactenus causas & fuisse huic prodigio crescendi, & esse adhuc dominandi. At nũc cùm tantum nos opponere voluimus, statim illi truces & terribiles gentium inimici ab ipso aspectu in timorem & fugam consternati fuerunt, gladius noster in acie propè cruentatus non fuit, & velut auium examina ad crepitum primum armorum auolauere. Quæ quidem omnia quanta virtute, fortuna, constantia à nobis suscepta, administrata perfectaque fuerunt, altera actione audietis. Nunc illos fugacissimos ideoque tam diu superstites Scythas relictos à suis dominis monitos etiam atque etiam volo. Nostra lenitas adhuc si ipsis solutior visa est, id expectauit ne quis iam amplius ipsis quàm victus patrocinari posset. Quod reliquum est torpere vltra & lacerandum polluendumq; regnum relinquere sopor & ignauia esset. Non ideo arma sumpsimus, vt aliena appeteremus, sed vt nostra tueremur, procul à nobis omnis fuit arrogantia. Proinde si quiescere volent, consulere adhuc sibi possunt: sin verò se

commo-

commouerint, ſentient hoc in regno eſſe fortem Senatum, eſſe vigilantes ordines, ſtrenuos duces, eſſe arma, vires, vnde eadem rurſus numina, eadem fata, eoſdem deos, raptores fæderum experiantur. Atque hæc omnia ita iam ipſis ex proximo imminere video, vt inſigni generi humano documento futuri eſſe videantur, ea ſancta ab omnibus credi debere, quæ à ſe tot per annos violata fuerunt. Quæ quidem breui ipſis affutura polliceor Quirites, fretus multis & non dubijs Deorum immortalium ſignificationibus, qui non procul ſed hic præſentes ſuo numine atque auxilio ad ſua templa atq; vrbium tecta, ad vitam populi ſui tuendam vindicandamq́ue hoc tempore adſunt, quos vos Quirites precari, venerari, atque implorare debetis, vt quod regnum pulcherrimum, florentiſsimum, potentiſsimumq́ue eſſe voluerunt, illud atrociſsimis iam toti orbi hoſtibus ſuperatis à fædiſsimorum latronum manibus intactum, inuictum, & beatum æternùm conſeruent.

ORATIO III.

De ordine belli geſti in Valachia, & quæ tunc & ante prodigia præceſſerant.

Ad imitationem Tertiæ.

REmpublicam Quirites, vitamq́ue omnium veſtrum, bona, fortunas, coniuges, liberoſq́ue veſtros, atque hoc vetuſtiſsimum clariſsimumq́ue regnum, fortunatiſsimam pulcherrimamq; patriam, hodierno die, Deorum immortalium, ſummo erga vos amore, cura, conſilijs, auſpiciis Regis veſtri ex flamma atq; ferro, ac penè ex faucibus fati ereptam & vobis conſeruatam & reſtitutam eſſe videtis. Et ſi mæſta atque lugubris omnibus eſt orbitas & obliuio (quod neq; mors quicquam triſtius in ſe habeat, & vita nihil ſecum iucundius ſocietate & memoria adferat) profectò (quoniam in eum fructum nati videmur) eſſe apud nos poſteroſq́ue noſtros debet in honore dies is, quo primum ex metu ac timore recreati, optatam victoriam pacemq; aſpeximus. Nam nobis ipſis acerbum funus, templis, delubris, tectis omnibus funeſtam noctem, toti deniq; regno æternas tenebras

obliuio-

obliuionemque depulit. Quæ quoniam à clarissimis ingeniis, memoriæ posterum sanctè collecta, conscripta, conseruataque sunt, vobis quoque iam breuiter exponam Quirites, vt quam magna pericula minimo motu, quàm horrendum bellum, nullo propè tumultu, gestũ, confectum, extinctumq; sit, vos qui ignoratis & expectatis scire possitis. Principio vt paucis ante diebus mors Skinder-Bassam abstulit, cùm iræ & fortunæ suæ, cæso in Valachia nostro exercitu, supremum specimen exemplumq; dedisset, iam tum putauimus & credidimus Quirites, vna quoq; cum eo bellum extinctum iri. Nam nisi ipse reuixisset, (qui tot funerum & cladium nobis causa fuit) nunquam similia ab aliquo pericula excitari, aut si excitaretur, sine illo duce infirma ac debilia futura videbantur. Cùm Osmanus summo furore & insania inflammatus, velut occasioni & absoluendæ victoriæ reliquus bellum renouat, id vnum omnes dies noctesq; vrget, vt in hoc regno quod iam pridem spe & auaritia inuaserat se quam primum videret iactantem & dominantem. Itaque Capudzi-Bassam ad Alexandrum Valachiæ Principem præmittit, atque ita vtriq; præcipit, vti terrore belli omnibus mortalibus formidinem faciant, si tamen clementiam suam quam vim experiri mallemus pacem polliceantur: eo scilicet vtrumque consilio, vt inter alios spe pacis, alios timore belli perditos ipse facilem inferret victoriam. Atq; etiam nos Ioannem Carolum Hotkeuicium & Stanislaum Lubomirscium, fortissimos atque amantissimos

Reipub: viros, duces in hoc bellum designauimus, iisq; milites eligere, scribere, centuriones accersere, arma, tela, equos comparare permisimus. Lubomirscius qui omnia præclara atq; egregia de Repub: mereri cupiebat, sine vlla mora ad oppidum Skalam, indeq; ad villam Piatnitzàny profectus est, atq; ibi è propinquo ita milites suos habuit, vt inter translactores illos Osmani & ipsum fluuius Nester interesset. Eodem in dies alij milites congregabantur, & complurium fortium virorum priuata pecunia collectæ instructæq; cohortes inducebantur. Mox aduentu Hotkeuicij, quem aduersa valetudo paulùm Leopoli tenuerat, in Valachiã traijciunt, locum castris ad Cocimum arcem capiunt, paucisque post diebus eodem VLADISLAVM Principem cum suis venientem copijs accipiunt. Interim Turcæ immenso exercitu appropinquãtes ex itinere ad ipsos literas mittunt, pacẽ in ijs promittentes si ab armis discessissent, & in contrariũ interiectis minis. Atq; literæ Viserij nomine & Turcica lingua scriptæ per Veuelliũ afferuntur. Cùm verò nonnullis qui in consiliũ vocati venerant, ea prius quæ pollicebantur experiri, quàm bellũ placeret, Ducibus minimè id sequẽdũ videbatur. Etenim si tantulum titubatũ submissumq; esset, animos se hosti daturos putabant, quos in illa quoque multitudine seu dolũ seu pacem quęrerent ipsis deesse hoc ipso quod minarentur videbant. Itaq; ex cõmuni consensu ad mandata quidẽ apertè, ad literas quæ Turcicæ erant dissimulato intellectu Viserio Hotkeuicius ita rescripsit.

Grata

& quæ tunc & ante prodigia præcesserãt.

GRATA MIHI EST I. D. T. QVAM EX INTERNVNTIO INTELLEXI IN RESTAVRANDA VETERI REGVM NOSTRORVM AMICITIA AC FORMANDA PACE ANIMI PROPENSIO. AMBORVM NOSTRVM ID MVNVS EST CONSILIO POTIVS QVAM ARMIS REM GERERE, VT NOSTER HIC ORBIS PACE POTIVS FLOREAT QVAM MARTE PEREAT. EGO OFFICIO MEO NON DEERO. I. D. T. VT STVDIVM SVVM ADHIBEAT AMICE HORTOR. SENSVM LITERARVM I. D. T. QVI MIHI EXPONAT NVLLVM HABEMVS, ET IDEO SI QVID COMMVNIS BONI GRATIA HABET QVOD MECVM CONFERAT, EVROPEO IDIOMATE SCRIBAT. Atque hoc modo Turcæ elusi, pergunt porro immenso agmine in Valachiam, vbi cùm obuius nemo ipsis fieret, in Cosacorum cohortem centum triginta numero, quam ab alijs eo tempore ad nos tendentibus longius populatio extulerat inter Kutnerum & Soltzauam incidunt. Educuntur gladij & ab illis & à nostris: acris pugna conseritur; sustentatur tamen strenuè ab illa parua manu, ignoratur à cæteris. Illic Turcæ diu frustraque se pro ijs afflictando, desperata victoria, noua sibi submitti auxilia ab Osmano petunt. Quia Cosacos esse nuntiatum est, ipse vniuerso cum exercitu aduolat Septuaginta eorum ad proximas montium specuumq; latebras profugos, ora & exitus sarmentis atq; virgultis complens, igni exurit, reliquos virtute & necessitate, vnum in locum conglobatos, viuos capere nititur. Oc-

ciditur Cur-Bassa, abripiuntur complura Turcis vexilla, & promptissimus quisq; cadit aut vulneratur. Tum Osmanus tormenta circumdare, globos excutere, atq; crebris ictibus deiicere campo hostes iubet. Illi contra plostris se claudere, rotas eorum defodere, terra obruere, pro se ipsis scrobes egerere incipiunt. Quod plus fortasse famę quàm fidei habiturum est, per triduũ illa manus tot millibus hominum sufficit. Neq; tamē vi subacti sunt, sed quæsitum noctu effugium dispersos & inuicem vitabundos vt vigilias fallerent in manus hostium tulit. At Cæsar quanquam difficili victoria vehementer perturbat⁹, tamen cupidus visendi *qui illi* tot per annos opes suas spernerent fatigarentq; omnes ad se adduci iubet. Adducti triginta numero, tot enim à tormentis supererant, prout nulla ipsis cultus affectatio est plérique laceri, aut tantum sagulo leues. Inde admiratio, mox indignitas, ex hac ira animum eius subiit, statimque in tentorio suo, ante tribunal suum, ante oculos, ante pedes suos, Ianissariorum manibus traditos, minutim concidere iubet, eoq; adhuc perfusus sanguine ingreditur viam ferus & immanis. Iam hostis in conspectu erat, iam omnis apparatus, iam labor, iam sudor incipiebat, cùm ire recta Camenecum, & vacuarum vrbiũ captiuitatibus insistere, quàm cominus certare pro victoria magnificentius existimans, pontem Nestro imponere iubet. Aguntur sublicæ validæ, ferrum catenæque ad firmitudinem comportantur: Polonia ipse ante oculos, florentissimæ prouinciæ, populus

bello

bello clarissimus, sed tamen nisi castra caperentur obstare rursum vlterioribus videbantur. Itaq; præmissis Tartaris, qui longè lateque populantes infinitum in regno terrorem facerent, ipse ad accipienda castra subsistit. Neque nostris Ducibus ardor & audacia deest, reddunt subito ostentatum terrorem, & ipsi cum paucitate sua egressi castris, paratosq; iam Turcas inuadere, conspecti pro vallo inopinato sustinuerunt eo die miraculo. Ex eo dies continuos triginta quinque simul oriri solem seq; peti & oppugnari videbant. Nam cùm Osmanus in immensa sua multitudine cõtemnens damnum, vt paucitatem nostrorum quàm primum conficeret, nunquam sibi cessandum statuisset, nostri ducere eum atq; excursionibus carpere in summam integri belli tutius fore arbitrabantur. Multæ igitur artes, multi impetus hinc atque illinc facti. Osmanus moræ impatiens, & si paululum adhuc adniteretur, capi posse castra existimans, agmen ad scindendum vallum cõtinuo ire iubebat. Nostri quieti intentiq; cum hostis rueret, alienam stultitiam securi opperiebantur. Versus itaque est breui in hostem terror, quem etiam omisso priori consilio, & ire in Poloniã irritum, & illic morari pudebat. Fatigatus quamuis spe deficiente summa tamen pertinacia hærebat. Et profectò propè etiam vincentium periculo: cùm nos non solùm viribus nulla parte aucti, fessi & pauciores, recentes copias acerrimumq; impetum eius quotidie exciperemus, sed etiã præter belli mala fame & pestilẽtia per pecora, per ho-

 mines

mines vulgata clausi magna adhuc vi & multitudine hosti suppetente tenebamur. Denique quo ipsa necessitas ducebat, virtute & audacia exitum quærere nosq; omnes victo toties hosti eripere Duces decernunt. Id noctu an interdiu faciendum foret cõsultant. Nox potior visa est, cùm Turcas pro seipsis incautos neglectis vigilijs, securitate somnoq; solutos procumbere à trãsfugis nuntiatum esset. Itaq; secunda fermè exacta vigilia, datur militibus signum: centuriones eos quid fieri placeret docent: egrediuntur omnes summa alacritate munitionibus; consistunt occulti ad castra hostium. Iam prouisa, parata, instructaque omnia erant, cùm ad signum tantum rem aggrediendi attentum militem, repentè imber ingentibus procellis fusus, propeque iam diem continuus in castra redegit. Atque his omnibus altero die per transfugas Osmanus auditis cognitisque adeo pertimuit, vt non modo voluntatẽ victoriæ, verumetiam spem salutis nuntio illo debilitatus atq; timore abiectus proiecerit. Cùm trepidaret, cùm teneretur, cùm viam aliquam fugæ circumspiceret, vnum incidit quod adhuc ipsum tenuit. Aduentabat cum nouis copijs Caracas-Bassa, & tunc in ore sermonibusque istorum erat audax, Cæsariq; propter audaciam & similem furorem carus. Quo die igitur is castra tetigit, eumq; aspexit Cæsar, tantam animo spẽ concepit, iterumque in veterem amentiam exarsit, vt statim eum ire, totisq; viribus fortunam tentare iuberet. Bassa contemplatis nostrorum castris, tametsi videret

deret

deret, quantum difficultatis periculiq; in oppugnandis contraheretur, fortunam tamen suam desiderari quàm fidem maluit. Ille verò summa iam spe victoriæ saturatus solitum edendi morem integrumq; prandiũ distulit, nec nisi victorem se barbaro more atq; in castris nostrorum cænaturum vouit. Igitur Caracas eductis omnibus copijs, vallum armatis ambit, vbi quisq; curaret disponit. In latus autem Vaierij Palatini Culmensis, qua parte tenuis porrigebatur planities in aduersa sylua militem abscondit: alium præsultare castris eumque vbi nostri institissent obliquè cedere iubet, vt ipse cum prioribus ex insidijs erũpens clauderet nostris à tergo reditum. Postquam sic omnia parata dispositaq; erant, datur cohortibus signum cornuaque & tubæ cõcinuere, clamor ingens exoritur, pugnatur vtrinq; extremis viribus, nec vsquam in toto prælio atrocioribus animis. Referunt ex præcepto illa parte hostes pedem: nostri ignari doli instant. Iste cùm id vidit, detecta facie strictoq; ferro suis præcurrit, sed in volantia ex aduerso tela temere illatus globo statim tangitur, patefactoque per frontem lethali vulnere concidit. Sensit vtraqua acies casum viri, momentoq; temporis & hostium turbatus ordo, & nostri velut tum signo dato coorti ingentẽ cladem edidere. Enimuerò tunc Cæsar vltima iam spe conatuque depulsus, obstupefactus & perterritus nostra fortitudine, consilia sua damnare, temeritatem execrari, circumspicere finem, cupere iam aliqua honestè euolare aut conditione pacisci. Ita eum non

modò furor ille & immanitas qua ſemper valuit, ſed etiam propter vim periculi præſentis ac manifeſti audacia qua ſuperabat omnes partinatiaq; defecit. Itaque Radulio Moldauiæ Principi negotium dat, eique mandat, vti omni modo pacem nobis perſuadeat, cædes, incendia, aliaq; à Tartaris nobis tunc illata damna ob oculos ponat, ſimulque ſpem in ſua æquitate, clementia quam maximam Ducibus faciat. Quæ omnia in hũc modum compoſita, ſcriptis Vngaricè literis per Veuellium, qui ſibi iam antea procurationem rerum nobiſcum agendarum depopoſcerat nobis redduntur. Ac mihi quidem Quirites, cum pridem manifeſta indicia hoſtis victi atque timore perculſi videbantur, ſollicitatio Coſacorum, literæ, artes, doli; tum verò manifeſtiora iſta viſa ſunt, dolor, oculi, vultus, taciturnitas, ſic enim ex prompto illo & alacri factus erat triſtis & demiſſus, ſic à cælo hoc & regno auerſus, ſic ex dolore mutus & taciturnus, vt illum victum eſſe ac perditum, non modò alij cõiectare, ſed ſe ipſe indicare videretur. Acceptis lectisque literis, conſultatum fuit de ſumma rerum quid fieri placeret. Dictæ ſunt a principibus viris acerrimæ ac fortiſsimæ ſententiæ, quas denique cum triſtior bello fames & peſtilentia reiiceret ad pacẽ tranſitum eſt. Et quia hæc antiquis conditionibus ſtetit, quid tamen tunc adiectum Turcis fuerit exponam. Primum vt pons ipſorum documentum victoriæ, traijciendoque noſtro exercitui relinqueretur: deinde vt priores caſtris decederent. Quæ vtraque paulum di-

ſceptata

ſceptata conceſſa ad extremum fuere. Ergo ſtatim magno ſtrepitu & tumultu caſtris egreſsi, nullo certo ordine, neque imperio, cum ſibi quiſque primum itineris locum peteret, & domum peruenire properaret, fecerunt & conſimilis fugæ profectio videretur. Atq; hic ſumma prudentia vſus eſt Lubomirſcius noſter Quirites, vt cum tantam vim ac multitudinē hoſtium, tamq; cito inſolentiſsimos eorum ſpiritus retudiſſet, quod & bellū atrocius poſtea rediturū pace abſoluerit, & pacē ſaciatus eorum ſanguine incruentam patriæ retulerit. Nam illud quod faciendum fortaſſe quiſquam putaſſet, ſine ipſo factum atq; trāſactum eſt. Etenim Oſmanus quanquam laceratus ac propè exutus exercitu, neque occultè ſurripi, neque impunè eripi potuit, tamen ſecuritati patriæ donatus, ludibrio potius ſuorum quā triumpho noſtro ſeruatus eſt, vt tandem nōn ereptus ex eius manibus, ſed datus aliorum feritati & vindictæ fuiſſe videatur. Nunc quoniam Quirites, huius acerrimi periculoſiſsimiq; belli horrendum ducem victum confectumq; videtis, exiſtimare debetis, omnes Turcarum copias, omnem vim ac furorem eorum vnà cum ipſo concidiſſe. Quem quidem cùm à patria veſtra repuliſtis, hoc tenete Quirites inter reliquorū ocia, inter ſomnos & libidines neminem iam tantum poſſe in veſtram perniciem ardere. Ille erat timendus vnus ex omnibus, & tam diu dum viueret. omnia norat, omnium aditus tenebat, tentare, inſtare, tractare, arte, mercede, dolo, amabat, ſciebat: erat ei animus imma-

nis, obstinatio par, à libidine vero eum neq; consilium vllum, neq; periculum retinebat. Neq; verò cùm aliquid mandauerat, confectũ putabat: ipse obire, occurrere, laborare, vigilare, frigus, sitim, famem ferre volebat, poterat. Hunc hostem tam acrem, tam paratũ, tam audacem, tam callidum, tam in libidine vigilantẽ, tam in proposito diligentem, nisi furori suorum superstitem tradidissemus (dicam id quod sentio Quirites) nondum illam molem belli à ceruicibus nostris depulissemus: non ille Constantinopolim iuisset, non illic tantulum hæsisset, neque illam eundi in Arabiam abiiciendorum conatuum simulatione susceptam viam denuntiauisset, neque commisisset vnquam vt literis, legationibus, inducias, pacem, fædera, aut si quid his amitius est renouassent legati sui. quæ nunc illo sublato sic gesta sunt, vt his quæ memoraui, prò ipsius furore & insania abundè nobis iam à Turcis litatum esse videatur. Quod si ille ad hanc diem viuus remansisset, quãquam quoad vixit omnibus eius consiliis obuiam iuimus, atque obstitimus, tamen vt leuissimè dicam, dimicandum nobis adhuc cum illo fuisset, neque nos vnquam dum ille viueret, Rempublicam tanta pace, tanto ocio, tanto silentio à Turcis quietam habuissemus. Quanquam hæc omnia Quirites ita sunt administrata, vt Deorum immortalium nutu atque consilio, & gesta & prædicta esse videantur. Idque cum coniectura cõsequi possumus, quod vix videtur humani consilij tantarum rerum administratio fuisse, tum verò ita præsentes

tes his temporibus opem & auxilium nobis tulerunt, vt eos penè oculis videre possemus. Nam vt illa omittã, erupisse multis locis insuetis nouos fontes, aquarumq; scaturigines, vt terræ motus, transisse de suis locis & alibi sedisse ingentes cliuos, cæteraque quæ tam multa post primi exercitus cladem acciderant, vt ista quæ appropinquabãt, canere Dij immortales viderentur. Hoc certè quod dicturus sum neq; prætermittendum, neq; relinquendum est. Nam profectò memoria tenetis Quirites, Hotkeuicio & Lubomirscio cum Turcis cõfligentibus, quæ tunc damna prodigiaq; nos afflixêre terruêreque. Strage villarum pecorumque super ripas effusi fluuij, plana, edita & secura quoque eiusmodi casuum sæpius sæuiusque repetito malo inundauerunt: cælum obscuris noctibus plurima luce refulsit, viderique visa sublime ferri per aerem aquila, ardentes faces, concurrentes columnæ. Quo quidem tempore, cędes, incendia, & totius regni interitum & occasum appropinquare omnes timuimus, nisi dij immortales omni ratione placati, suo numine propè fata ipsa flexissent. Itaque statim cùm nihil spei aut auxilij, videremus ad Deum & vota conuersi fuimus, neque res vlla quæ ad placandum Deum pertineret ab Episcopo nostro & populo prætermissa est. Hic quis potest esse Quirites tam euersus à vero, tam præceps, tam mente captus, qui neget hæc omnia quæ videmus, atque hoc præcipuè regnum Deorum immortalium nutu atque potestate ex hostium manibus ereptum & seruatum esse?

Hæc enim omnia, illa ipſa nocte qua circumittebatur à noſtris Ducibus Turcarum caſtris exercitus, à quibus etiam tempeſtate repulſus fuit conſpecta, viſa, [redacted] que [redacted] omnibus fuerunt. Illud verò nonne ita præſens eſt, vt nutu Dei Opt: Max: factum eſſe videatur; quod cum ſupremis appropinquaret, animamq; ageret Hotkeuicius, atq; imperium deponeret, cælo tunc ſudo & ſereno, armatus vir medio meridie diu in aere comparuit? quo quidem viſo, proſpera omnia ſalutem & victoriam animis noſtris concipere cæpimus. Quo quidem maiore nunc orbi documento fuimus, bellantibus cum Deo omnia proſpera contingere, experti tantum hoſtem, à quo alij obruti fuerunt, non modo ſine clade noſtra, ſed ne cum periculo quidem vllo. Cui ſi nos reſtitiſſe dicamus, nimium nobis ſumamus & non ſumus ferendi. Ille ille pro nobis Deus noſter reſtitit, ille coronam, ille hæc templa, ille vrbes, ille regnum, ille nos omnes ſaluos eſſe voluit. Deo nos duce ſalutem victoriamq; retulimus, atq; ad tantam gloriam peruenimus. Nam illa obſtinatio Oſmani, illi eius conatus, doli, illæ artes, ille ſitiens ſanguinis animus, tot annorum apparatus, tot vndique contracti populi labefactari ac frangi tam cito nunquam profecto potuiſſent à nobis, niſi tantæ audaciæ conſilium a Deo fuiſſet ereptum. Quid verò, vt iuuenis amens & promptus ferocibus, ſtimulatus a Bernauio Valacho, acceptiſque ab eo decem & aliquot noſtrorum captiuis, vt relicta caſtrorũ oppugnatione in terram ſtatim hoſtilẽ ſigna inferret,

ſpem

& quæ tunc & antè prodigia præcesserant.

spem factam & consilium desereret? id nonne diuinitus factum esse putatis? præsertim cum a nemine quicquam auxilij, & domi arcendo malo, nihil adhuc prōptum prouisumque haberemus. Quamobrem Quirites, quoniam nihil vobis salute patriæ vestraq; potest esse iucundius, celebratote hunc diem cum coniugibus & liberis vestris. nam multi sæpe honores diis immortalibus iusti habiti sunt ac debiti, sed profectò iustiores nunquam. Erepti enim ex crudelissimo ac miserrimo interitu, & erepti sine cæde, sine sanguine, propè vt dicam sine exercitu, sine dimicatione Deo duce & autore vicistis. Etenim recordamini Quirites, vestra cū Turcis certamina, neque solum ea quæ audistis, sed & ea quæ vosmet ipsi meministis & vidistis. Hausit iam sæpius vestrum sanguinem immitis Valachia, multique illic fortes viri, partim capti sunt, partim interempti. omnis ille locus aceruis ciuium vestrorum & ducum sanguine redundauit. cessit postremùm eidem fortunę Zolkeuius: tum verò clarissimis viris interfectis, lumina regni extincta sunt. Abreptus est & antea eiusdem fortunæ vi ad Mochatzium Ludouicus Rex Vngariæ, ne dici quidem opus est, quanto dolore & calamitate suæ Reipub. Neque deinde Vladislaus Rex noster similem sortem vitare potuit, cui sicut antea secūda fortuna rebus supra vota fluentibus plurimas de Turcis victorias attulerat, ita postea aduersa, destruens quæ cumulauerat ad Varnam omnem eidem victoriarum gloriam, ipsamque vitam abstulit. Atq; illa certami-

na erant huiusmodi Quirites, quæ non ad delendam Rempub. pertinebant: non Turcæ nullum tunc esse hoc regnum, sed id quod esset sibi esse securum, neque ipsi his in partibus florere, sed a se vim nõnullorum in se consurgentium repellere voluerunt. Atq; ista tamẽ omnia eiusmodi fuerunt, vt non vniuersa opum & populorum vi, sed plerunque Tartarorum & Ianissariorũ opera transacta fuerint. In hoc autem vno post hominum memoriam maximo crudelissimoq; bello, quale bellum nulla vnquam barbaria cuiquam genti intulit, hęc lex fuit ab Osmano constituta, vt nulla felix arbor, nihil frugiferum, nihil viuum, nec nisi nudum & aridũ solum relinqueretur, tamen ab hisce omnibus malis seruati sumus, & cùm hostes nostri tantum ciuium superfuturum putassent, quantum infinitæ cædi elapsum fuisset, tantùm autem vrbium quantum flamma obire non potuisset, & vrbes & regnum & nos omnes salui & incolumes remansimus. Quæ cùm ita sint Quirites, nullum ego trophæum victoriæ, nullum rerum a vobis gestarum monimentum, nullum triumphi insigne vt alicubi habeatis postulo, prætorquã huius diei memoriam sempiternam. In animis ego vestris omnes triũphos vestros, omnia insignia, omnia monimenta condi & collocari cupio. Nihil mutum, nihil tacitũ, nihil denique huiusmodi quod inuidiam alicuius prouocare posit tantis rebus par esse poterit. Victoriæ huic vestræ vt gloria infinitæ, ita nonnisi animo, qui immensus est, rebus a vobis gestis quæ æternæ esse debent, nõnisi

memoria,

memoria, quæ mortem omnem & obliuionem vincit, responderi poterit. Eandemque diem intelligo, quam spero æternam fore, & ad salutem regni, & ad memoriam Principis nostri propagandam. eodemq; tempore in hac Repub. fatalem nobis iuuenem datum esse, qui non solum hostem funus & tenebras huic regno afferẽtem, à ceruicibus nostris repelleret, sed etiam omnes victorias laudesque alterius Vladislai recuperaret, quem tunc demum hostis à Varna in se iterum suscitatum sensit, cùm in mucronem eius incidit. Sed quoniam huius belli quod gessimus, non ea est fortuna & conditio ac illorum quæ huiusmodi odiis committuntur, quod nos hostem victum ac perditum emisimus, alij hostes aut interfectos aut oppressos relinquunt, nostrum est Quirites, si nobis nostra hæc moderatio apud hostes prodesse nolit, ne tamen obesse posit prouidere. Quanquam quid iam nobis ab his hostibus noceri posit, non video. Magnum est enim nobis ex alto præsidium comparatum, magna fortuna Christianorum, magnum & terribile nomen nostrum, magna vis conscientiæ, quam vbi hostes respexerint, eadem mala, eadem fata timebunt. Est etiam is in nobis animus Quirites, vt non modo illorum audaciæ cedere, sed prius mortem oppetere, quam maiorum nostrorum gloriam contaminatam esse velimus. Atque id cùm ex aliis tum ex eo intelligi potest, quòd cum pridem ipsi ad commune aliarum gentium exemplum

legatum

legatum aliquem vt perpetuum Byzantij haberemus, exposcerent, non modò neminem vnquam illuc destinauimus, sed hisce periculosissimis temporibus Christophori Ducis in Zbaraz virtute, fide, prudentia, constantia, ne amplius in posterum eius rei mentio fieret, obtinuimus. Quamobrem Quirites, cùm neque in gloria virtutis, neque in honore vestro optare iis quæ nobis euenerunt quicquam maius potuistis, veneramini Deum illum vindicem huius regni ac vestrum, eique gratias sempiternas agite, & quanquam periculum omne à vobis depulsum est, tamen æquè vt antea fecistis, ad illum recurrite. Is ne vnquam vobis aduersi eueniat, atq; vt in perpetua pace esse possitis, prouidebit.

ORATIO

ORATIO IV.

De vindicandis incurſionibus Tartarorum; cum iidem Anno 1623. longè lateq; omnia ferro & flamma proterentes Canczugam vſq; progreſsi ingentem populationem edidere.

Ad imitationem Primæ.

QVouſque tandem Quirites circum ora oculoſque noſtros ferox impunitate volitabit Scytha? quam diu nobis etiã eius inſultabit inſolentia? quem ad finem ſeſe effrænata iactabit audacia? Nihilne nos ad vrbes concurſus hominum, nihil ad ſyluas & latebras fuga agreſtium, nihil dira vaſtitas, nihil ciuium, nihil coniugum, nihil liberorum ſub ferro aut vinculis gementium ploratus mouebit? Pati id iam pridem patriam noſtram non videmus? conſtrictam ludibriis ac tormentis veſani hoſtis premi non ſentimus? Quid hoc, quid proximo, quid ſuperiore, quid alijs retro annis rapuerit, quouſq; permeauerit, quot millia mortalium abduxerit, trucidauerit, etiamne ignoramus? O tempora, ô mores! Rediimus nuper ex victoria, terribilem humani generis peſtem Turcam compreſsimus, arma adhuc in manibus habemus: hic tamen venit: venit? imo verò in

ſinum noſtrum pergit, hanc vrbem quærit, flammaque pererrat terram Tartarus. Nos verò viri fortes, dum iſtud intra pomæria habemus Diui Andreæ fanum, vnde olim vrbs hæc iſtaque omnia mendicabulorum ope ſeruata erant, hoſtem non pertimeſcimus. Procul eum ferro ſubmouere iam pridem oportebat, in ipſum trãſferre peſtem hanc qua ille iam diu intra viſcera noſtra furit. An verò iniuria Moſchorum ob retentos legatos, atrociſsimum hinc ſibi bellum euocauit, nobis Regique noſtro arma induit: furor Tartarorum cæde & catenis patriæ perſultantium nullis manibus comprimetur? Nam illa nimis antiqua prætereo, quod Andreas Maſſouius Lithuanorum populationem priuatus non tulit, ſed penetratis vnus ſua ſponte eorum caſtris Dauidem Ducem in compẽdium vindictæ ac hoſtium manu ſua ſuſtulit. Fuit, fuit iſta quõdam in hoc regno virtus, vt quod egregium in regibus admirari, id neque in priuatis deſiderari potuit. Habemus enim quę ſemper cuique noſtrum affuit, propriam huic regno fortitudinem, non deſunt nobis conſilia, neque Regum noſtrorum fortunata auſpicia: nos nos apertè dico Quirites deſumus. Miſſus eſt quondam Tarnouius, vt à Valachorum inſolentia Pokucium vindicaret, nulla mora interceſsit, & illos inde exegit, & in ſuam terram fugientes proſecutus iterum illic immenſum eorum exercitum quatuor millibus ſudit, fugauit, ſuaque damna & terrorem hoſti reddidit. Pari manu & animo Ioannes Zamoſcius aduerſus hunc ipſum Scytham, ali-

quid

quid tum mouentem, antequam ipsum vidit, iuit, impetumque eius in alieno solo ita retinuit retuditque, vt diu postea nulla arma ac vix nomen eius in hoc regno fuerit. At nos propè viginti annos, venire & abire hũc hostem patimur, nostro tantum sanguine cruentum. Habemus enim parem maioribus animorum spiritum, veruntamen in imo pectorum clausum, tanquam gladium in vagina reconditum: quo statim inter initia hostem insequi, per paludes & errores suos vindicta quærere, vnoque egressu extremum illi regressum facere oportuit. Venit, & venit vt amplius contineri non posit, qui ita in perpetuum comprimi poterat. Cupio Quirites vos esse circũspectos, cupio ad pericula Reip: non præcipites haberi, sed me iam vestræ tarditatis tædet. Hostis patriam tenet, quòd inter Sanum & Nestrũ terræ est Polonorum cadauera tegunt, omnia clamoribus ciuium opem implorantium strepunt, spumant decolores cruore fluuij impletiq; humanorum corporum strage gurgites, vada iam ad nos faciunt. Si vos quamprimum ire, si prædam, si viam hostibus eripere, si idem exitium in terram eorum vertere iussero, certè verendum quoque erit, ne non hoc potius segnius à me persuasum, quam quisquã fortius a vobis factum esse putet. Verùm ego hoc quod iam pridem factum esse oportuit, nondum adducor vt vobis persuadeam, tum denique ad id vos cohortabor, cum iam nemo erit tam improuidus, tam imperitus, tam rerum ignarus, qui nõ tutius esse id, quam pellere tantũ patriâ segnius reditur ũ

hostẽ fateatur. Quamdiu quisquã erit, qui suo sensu timida consilia vt cauta fouebit, manete in patria: & manete non vt nunc manetis, vt commouere vos loco non velitis, sed vt eadem quæ nuper in Turcam tulistis arma & manus domum retulisse videamini. Etenim num leuis belli causa est Quirites, num non satis iusti doloris? si neque modestia nostra liberi ab eorum petulantia, neque locorum secreto aut recessu, securi ab eorum audacia esse possumus? si violantur, si cruentantur omnia? Deponite iam istam conctationem: non quietẽ habebimus, nisi eam nobis fecerimus: laceramur continuo, morte grauior iam est eorum insolentia. Quam etiam licet mecum recognoscite. Meministis né Zolkeuium ab iis ante annos quatuor, cum componendarũ cum Skinder-Bassa cõtrouersiarum causa ad Orininum venisset in castris oppugnatum? num eos tenuit Quirites, non modo inter duos populos pacis tractatio diu optata, diu desiderata, diu expectata, verùm id quod multo magis est admirandum, si modo Zolkeuius permisisset aperta cædes? Ibat anni duo sunt Leopolim Rex, tum cum vndique conclamatum esset ad arma, & vos vniuersi contra ingruentium vim Turcarum sub signa & vexilla concurreretis, num inficiari potestis, non ipsum per aduersa eorum agmina ac penè ad singulos gradus, obiectos cuneos tetendisse? vnà cum eo regni totius salutem, omnium nostrum fata in discrimine fuisse? Quid? cum iidem Christophoro Duci in Zbaraz Constantinopolim eunti insidias vbique tetendissent?

nonné

nonné propè in ore patriæ, sacrum legatorum ius violassent, nisi legatus cum delecta suorum manu, pacificatum eo quo ad prælium modo iuisset? Nihil suscipimus, nihil instituimus, nihil agimus quod illi nō modo non turbent, verumetiam impediant, planeque cruentent. Recognoscite tandem mecum hanc postremā populationem, iam intelligetis quanto illi acrius vigilent ad perniciem, quam nos ad salutem Reipublicæ. Dico illos nunc irrupisse (non agam obscurè) ductu aliquot flagitiosorum nostrorum ciuium, quos metus pœnarum & scelus hinc ad eos transtulerat. Num negare audetis? quid cælatis? conuincam si vultis: illi enim fuerunt quos in comitijs proscripsistis. O dij immortales, vbinam gentium sumus? quam Rempub: habem⁹? quo in orbe viuimus? Hinc, hinc sunt ex nostro numero Quirites, ex hoc communis patriæ, quæ nos simul genuit & aluit gremio, qui de nostrum omnium interitu, qui de rerum atque adeo Regum nostrorum exitio cogitant; hosce nos non subito puniuimus: cū his molliter & per dilationes egimus, & quos reos trucidari statim oportebat, eos vt hostes haberemus emisimus. His igitur ducibus veniūt Tartari, qualibet velut per aperta & inuitantia intrant, extruunt latrocinijs receptacula, deligūt qui ad eorum excubias maneant, qui prædas agant, dimittunt in omnes partes cuneos. Non iam ex Russia aut illa parte Sani clamorem & fremitum audiuimus, sed hinc & propè vidimus hostem, fumus ex incendijs villarum agrorumq; ora & oculos nostros feriebat:

 bat:

bat: inopinato quos simul vescentes lætitia, quos simul quietos somnus habuerat ad cædem aut vincula rapti: plurimæ imminẽtium nesciæ, illustres domus lugubres factæ aut vacuæ, & quicquid superest id tantum fessus hostis reliquit. Hæc verò omnia nonné alij nobis futura prædixerunt? nonné etiam ipsi præsensimus? & tamen num consultum iuimus? num vallum alicubi aut fossam duximus? num castella, num munitiones, num exercitum vspiam opposuimus? Quæ cum ita sint Quirites accingimini: capite aliquando arma: prouocat hostis, expergiscimini. Nimium diu iam demissis manibus furorem eius spectauimus: sumite arma quibus gloria est carissima, sin minus salus; purgate patriam, liberate eam falso hoc metu, ne ista Scythiam esse credat. calamitas hæc non dissimulari, non ferri, non vltra pati potest. Magna diis immortalibus habenda est gratia, atq; huic ipsi vrbis regiæ & coronæ custodi Stanislao, quòd hanc tam tetram, tam horribilem, tamq; infestam Reipub: perniciem toties iam effugimus. non est sæpius nostra patientia, in aleam mittenda summa salus Reipublicæ, Quamdiu circa extrema regni hærebant Tartari, tam diu hic solitudine & recessu nos defendimus, cum adhuc intra Russiam consistebat eorum populatio aduersus eorum nefariam audaciã nostra nos ignota nemora nostræq; villæ tuebantur: denique quoties petiti fuimus, alieno periculo restitimus. Nũc iam superato Sano vniuersi petimur, templa deorum immortalium, tecta vrbium, vita omnium ciuium,

Polonia

Polonia deniq; tota ad exitium & vastitatem vocatur. Quare quoniam ad id quod præcipuum atq; huius regni fortitudinisque maiorum nostrorum propriũ fuit, vos hortari non audeo, hortabor ad id quod videtur esse ad securitatem tutius, ad quorundam opinionem melius. Nam si vos in eorum terram exire hinc iussero, residebit in animis multorum ex discessu vestro orbitas & casus patriæ: sin (quod iam pridem fieri oportuit) in vestro solo vno saltem congressu acerba omnia hosti feceritis, euentu facilia deprehendentur, quæ deliberantibus ardua vidẽtur. Quid est Quirites? num dubitatis me id adhortante facere, quod vestra sponte facere debebatis? Ire vir viros in hostem iubeo. interrogatis me quid spondeam? victoriam: sed etiamsi apertam mortẽ, ire tamen suadeo. Quid enim est Quirites, quod etiam finitimos respicere non velimus? cùm circa hoc regnum nulli sint, qui non perinde rebus nostris quiescentibus quiescant, ac motis moueãtur. Quis autem est hic terror nominis nostri? quæ apud longinquos cura reuerentiæ? quæ nostra in tuendo regno vigilantia? qui illud pacatum & amplissimum à maiorib⁹ nostris nobis relictum, sicut accepimus seruare & continere posse non videmur, cùm tamen pro claustris & munimentis quæ huic terræ natura denegauit, habeamus ab iismet quibus hæc omnia steterunt, datas nobis manus & arma & in his omnia. Quid verò nuper? cùm expeditione Turcica, vacuas Prouincias discessu nostro fecissemus, nonné intẽtos in occasionem Moschos sensimus?

simus? quod ego prætermitto, & facilè sileri patior, ne tantum facinus plus quam in literis ab iis acceptis aut extitisse, aut nondum vindicatum esse videatur. Prætermitto odia & inuidiam plurimorum, quæ omnia nobis è proximo im̃inere non ignoramus. Ad illa venio, quę non ad rerum suspiciones, non ad interpretationes cuiq; liberas, sed ad priuatum nostrum ruborem, atque ad domesticam nostram calamitatem pertinent. Potestné nobis Quirites huius victoriæ gloria, aut huius ex bello reditus lætitia esse iucunda, cùm sciamus esse neminem qui nesciat, nobis reducibus sæpius iam Tartaros venisse? multa libera capita, magnam vim agrestium, multa millia pecorum abstulisse? saluti & incolumitati nostræ non aliquam nostram curã aut ipsorum timorem sed fortunam regni profuisse? Ac iam ista omitto, neque enim sunt aut obscura, aut dudum commissa. Quoties agros nostros depopulati, quoties vrbes ipsas aggressi sunt? quid profecimus patientiâ, nisi vt plures & ferociores in facile tolerãtes redirẽt? Quot verò incursiones, quas præmoniti parua manu auertere potuimus nostra negligentia transmisimus? Nihil agunt, nihil moliuntur, nihil cogitant, quod nos vnquã fugiat: neque tamen pati & sedere desinimus. Quoties iam, quoties iam gladijs ad gladios vestros hic hostis concrepuit? quoties verò in mucrones vestros incidit? neque tamen eos cruentare vultis: qui quidem cui tandem victimæ sint à vobis reseruati nescio, quod eos in corpore fædissimi hostis defigere non velitis? Nunc

verò

verò quæ nostra est ista quies? sic enim loquar, non vt affectu commotus esse videar, quo debeo, sed vt admiratione quæ quoq; nobis debetur. Iuimus paulò ante in Valachiam, num omnia quieta & integra sicut reliquimus inuenimus? Si id rebus adhuc prosperis contigit, quid sperare debemus aduersis? cùm victores grauissima fuerimus nostrorum inuidia oppressi. Quid, quod discessu nostro Riga excidit? Quid, quod ciuitates, quas constantes & fideles credidimus, simul atque profecti fuimus, intestinis machinationibus agitari & conuelli cæperunt? Quo tandem animo id ferendum putatis? Aliæ me hercle gentes, si se hoc pacto à suis negligi cernerent, aliter se æstimãdos vel ipsorum exitio docerent: vos periculo Scytharum non arbitrabimini? Et quamuis ab iis perituros se statim cernerent, mori potius non inulti, quam ęquis oculis id intueri præoptarent: vos cum multorum bellorum euentu & virtute pacata vobis & integra omnia facere posſitis, dubitatis quorum animos mentesq; vestra lenitate laxastis, eorum constantiã hostium terrore firmare? Si vobis, vt olim Coriolano matres & parentes occurrerent, atq; vti se, coniuges, liberosq; paruos obsessos è manibus hostium eriperetis orarent, vt opinor etiamsi moriendum esset arma caperetis. Nunc vobis patria, quę communis est omniũ nostrum parens, deformis belli malis occurrit, & iam diu defessa luctu pauoreq; victa, vt se sibi vobisq; seruetis orat: eius vos neq; preces, neq; calamitas, neq; vestra in eam pietas mouere poterit? Quæ

etiam Quirites sic vobiscum agit, & quodãmodo tacita loquitur. Nullum iam tot annos noui hostem quam Scytham. nullam me fieri sentio, quam Scythiam, nihil propè vltra mei video, quocunq; circumfero oculos, cruenta sunt omnia & euastata. dedi millies sanguinẽ: quod adhuc spiro, quod vocem mitto, arma quæ sine viris veniebant id effecerũt. Potuisse vos id à me auertere certo scio: noluisse ne sciam, vosmet facitis. plus mihi vastitatis attulit secunda vestra fortuna quam aduersa: in bello capi non potui, in pace ab hoste non requieui. Quamobrẽ agite, sinite sciam, terrané hostium sim, si me deseritis, an vestra patria, si me liberatis. Hæc vt dixi vobiscum si patria vestra loquatur, nonné impetrare debeat, etiamsi vobis pro ea moriendum esset? Quid, quod toties iam hunc hostem vicistis: quid quod eum ad latebras suas, ipso agminis sono pepulistis: Cælum, syluæ, & inter ignota errores ipsi sæpius vobis illos captos ac velut vinctos tradiderunt. Nuper inter inuia adeptus eos Lubomirscius cum ad Piatnitzanum exercitum opperiretur, illâ quam habuit manu prædã illi & fugam eripuit. Quoties ita in manus venerunt Zbarauiis, Iazlouecciis, Sieniauiis, Korecciis, Strufsiis? quoties ab agrestium manu fœde pulsi, fugati, cæsi sunt? Sed quam longe id videtur vobis à communi bello & conflictu abesse debere, quos priuati sæpe cùm voluistis cæcidistis? Quæ cùm ita sint Quirites, dubitatis si in modestia nihil spei est, ad arma transire? pacemque tot incursionibus violatam iusto pioque bello parare?

Refer

Refer inquitis ad alios, & si idem quoque illis erit animi, paratos vos esse dicitis. Non referam, id quod promptum vestræ virtuti esse debeat, quis tamen sit sensus omnium, vt mecum cognoscatis faciam. Egredimini ad bellum Quirites, ab hostibus liberate patriam: si ducem expectatis, ite mecum. Quid est Quirites? ecquid animaduertitis omnium silentium? patiuntur, tacent. Quid expectatis sententias consultantium, quorum voluntatem tacitorum perspicitis? At si hoc idem in Ferdinandum Imperatorem, si in aliquem alium amicum populum succlamarem: iam mihi hoc ipso in loco quotquot adsunt iure optimo vim & manus intulissent. De Tartaris autem cùm tacent probãt, cùm patiuntur decernunt, cùm quiescunt sequuntur. neque solum illi, qui cum illis videlicet in singulas horas capite dimicant suo, somnum & quietem sine cura & metu capere non possunt: sed etiam cæteri equites Poloni honestissimi atque optimi viri, quorum & in laboribus alacritatem, & in vindicta fortitudinem, & voces in re ipsa perspicere possetis, qui sibi causam & viuendi fortiter mori, & moriendi victoriam vel pacem putant. Quanquam quid loquor? vos vt statim pacem speretis? vt illam habeatis vt hostem a fuga non redeuntem, vt diu quiescentem videatis? vtinam id dij immortales vobis donarent. tametsi video, si nũc pertimuerit, si cessauerit, quanta vis mali, si minus in præsens recenti vestro terrore, at in futurum impendeat. Sed erit & istud tanti, dummodo à tot malis ali-

quando respiremus, atque à tot annis habeamus securitatis vnicum diem. Sed ille ne amplius commoueatur, vt pertimescat, vt desinat, non est expectandum. Neque enim is hostis est Quirites, quem aut sacietas à præda, aut lassitudo à crudelitate, aut timor ab audacia reuocarit. Quamobrem vt sæpe iam dixi proficiscimini: ac si manere iterum vobis erit animus, extra portas egredimini: æquius deinde manebitis, si quem non vultis vt vincatis, eum saltem cui hactenus peperceritis videatis. Sin autem indulgere vestræ laudi & gloriæ vultis, ite, occupate viam, progredimini vsque ad fines, ab his repellite hostem, aut ad cædem suam admittite. Quanquam quid admittatis? quem supra caput vestrum stare sciatis, à quo sæpius fuga trepidum plenum vulnerum ac pauore incidere in portas populum videatis, non fortunam, aut quenquam deorum, sed vos ciues accusantem. quorum dextras impias riuis sanguinis fluentes, inter rapinas humanasque hostias per deorum templa & altaria volitare sciatis. Vos hæc pati diutius potestis? ciues, aras, deum delubra, sepulchra maiorum, pollui, vastari, cruentari? Ite tandem aliquando quo vos iam pridem vestra pietas vocat. neque enim Dij prohibebunt ista, aut propter vos de cælo descendent, illi opem non denegabunt, vos ipsi prohibeatis oportet: ad hoc vestra vos virtus vocat, gloria inuitat, necessitas compellit. Fugatum vos cum Turca dicite Scytham, multiplicate fama victorias, nondũ is victus est, si reuerti potest. Obtinebitis istud si vincere

cere velitis quam viciſtis. neque enim iam eſſe aut pax ſine victoria, aut victoria ſine certamine, aut certamen ſine congreſſu poteſt. Hic verò quid arma habemus? quid ſedētibus ſpei eſt? quod precium effuſi toties ſanguinis expectamus? cùm adeo ſecurus intrat & exit hoſtis, vt neque nos poſt terga ſua reſpiciat. Ad hoc certè ſtudium referri debent, quos quandoque voluptas nobis exprimit labores noſtri, ire per ſyluas & inuia, nonſolum ad inueſtigandas feras, ſedetiam ad conſectandum hoſtem, pati hyemem & tædia non modo ad ſuperandam neceſsitatem, ſed etiam ad comparandam gloriam. Habemus quo referamus illam noſtram patientiam famis, frigoris, ſitis, vigiliarum, quibus nos quandoque inaniter conficimus. Quantum in iis proficiamus, in caſtris potius quam per deſerta monſtrare poſſumus, vt id quod nullo commodo ſuſcipimus inſtrumentum potius induſtriæ & virtutis, quam voluptatis, aut otij nominetur. Nunc vt a vobis Quirites propè iuſtum timorem deprecer & amoueam, percipite quæſo diligenter quæ dicam, & ea penitus animis veſtris ſenſibuſque mandate. Etenim ſi mecum patria, quæ mihi vita mea multo eſt carior, ſi cuncta Polonia, ſi omnis Reſpublica loquatur. Heus quid agis? tuné eum quem timeri ab omnibus gentibus vides, cuius armorum virorumque ſtrepitum, ab Ægypto & Arabia nuper exaudiſti, quem inferentem ſigna propè in patriam vidiſti, immanem peſtem, crudelem tyrannū, ferum hoſtem, iterum irritabis vt a nobis non amotus

à patria, sed commotus in patriam esse dicatur. nonne pacis inchoatæ, non fæderis ac legum, non denique ferociæ ac potentiæ eius meminisse te oportet? Quid tandem in bellum impellit te? spesne victoriæ? at nusquam minus quam in bello euentus respondere solet. An desperata iam pax? at non quàm extrema experiri, prius legatos mitti, conqueri, res repeti, quæ formula pacis cum Turca est oportuit? An quod degenerem famæ ac emollitum hoc bello expertus sis, nihil à tali hoste periculi times? optandam verò istam securitatem, si non virtus ignauis quoq; rediret meditatione belli. Multo enim aliter nunc hostis ab hoste edoctus arma & vires moueret, cuius sola multitudo, si non tela sua in Te sed corpora inijciat, obruere te posset aut saltem diutius illa perire quam tu vincere. An cum mouebis arma, cum bellum inferes, vnum tibi tantum hostem deliges, & non cum vtroque simul & Scytha & Turca res tibi futura est? His ego sanctissimis Reipub: vocibus, & eorum hominum qui idem sentiunt mentibus pauca respondebo. Ego si id contra fædus iudicarem Quirites sua tueri, quamuis in iniquissima conditione aduersus latrones istos nec verbum mitterem. Sed cum summi viri & clarissimi ciues, Sieniauij, Zbarauij, Zamoscij, Tarnouij, & alij superiores cõplures toties eos fugando, occidendo, fædus non modò non violarunt, sed hoc ipso sibi & regno firmius reddiderunt, certè non erit verẽdum nobis ne quid tam graues toti regno latrones coercendo, inuidiæ violati fæderis incurramus.

mus. Quod ſi ea maximè impenderet, ita tamen exiſtimaui, vt crederem iura fœderis ſeruari ijs non debere, qui ipſi non tenuerunt. Quanquam nonnulli erant, qui aut ea quæ imminebant non videbant, aut ſi videbant diſsimulabant, qui mollibus hiſce ſententijs bellum Turcicum adduxerunt, leuiaq; Tartarorum latrocinia impune tranſmittendo grauiora prouocauerunt. quorum ſententiam ſecuti multi, non ſolùm improuidi, ſed etiam cauti, dum bellum verebantur, pacem amiſerunt. Nunc ſi inſigni clade à vita fortuniſque noſtris Tartaros amouerimus, neminem exiſtimo tam imprudentem fore qui non intelligat, aut cæptam amicitiam tenuiſſe Turcas, ſi quieſcant, aut iam fædus rupiſſe, ſi querantur. Atque hoc pacto intelligo latentem adhuc aliquam peſtem, aut breui comperi, aut in perpetuum comprimi poſſe. quod ſi Turca ſurrexerit, ſecum ſuos adduxerit, omnes vires in nos traxerit, poteſtne venire maior quam victus eſt? Etenim iam diu Quirites in hac religione fœderis violandi verſamur, ſed neſcio quo pacto ſemper ſanctitatis hui⁹ pœnas luimus. Quod ſi legatos quoque miſerimus, vt antea ſpe & promiſsis lactabimur, periculum autem reſidebit, & erit penitus infixum in medullis & viſceribus Reipub. vt ſæpè medici imperiti, cùm in morbo veteri & diu aucto ſenſum mali ægro auferunt, prius releuare ægritudinem videntur, deinde multo grauiorem & contumaciorem reddunt: ſic hoc malum Reipub: releuatum his querelis, vehementius euentu irrito ingraueſcet.

Quam-

Quamobrem Quirites, remouete moras, consistite in acie. virtus, gloria, salus, vindicta, indignitas in vestra pectora congregentur: reddite terrorem hosti, eripite vestra pignora, succurrite vinctis: ite, tollite, pellite, perdite hostem, vt tandem miseri ciues, quos sui oblitos putant meminisse sciant. Hoc vobis polliceor Quirites, tantam fore afflictæ illius prouinciæ lætitiã, tantam ciuium illic manentium alacritatem, tantam bonorum omnium consensionem, tantam vicinorum ac finitimorum in posterum reuerentiam, vt omnia lõgè lateque vindicata, salua, quieta, pacata, beata æternùm sentiatis. Hisce omnibus Quirites cum summa Reipub: salute & cum vestra fama & gloria, cum miserorum ciuium precibus egredimini ad pium bellum & necessarium. Tum Te STANISLAE custos sempiterne huius imperij, cæteraq; sancta numina quæ huic arci regnoq; præsidetis, quæ a tot annis triumphis nostris coluimus, voce publicâ precor venerorque, custodite, seruate, protegite hoc imperium: a vestris aris cæterisque templis, a tectis vrbium & mænibus, a vita fortunisq; ciuium arcete hostem, date victoriam Polonis, opem numenque vestrum bellantibus annuite.

AD LECTO.

AD LECTOREM.

Introductio ad imitandum Ciceronem.

HAud diu eſt, Lector amice, vt ad alia quæ in Academia conficio, nouum adhuc literaturę humanioris penſum accurandum mihi traditum eſt. Fatebor: præter ſpem meam, non tamẽ vſquequaq; præter votũ. Abeunt enim vt ſcias Medicorum præmia, & neq; bonæ fruges, quamuis in pingui & opimo ſolo excitari poſſunt, cùm inutiles herbæ ſuccreſcant vberrimæ. Neque hoc idcirco dico, ac ſi jam totus in alienam familiam tranſierim, ſed poſtquam gratia vulgo placendi prælata eſt vtilitati iuuandi, ego Proteum in literis, quam in vulgi placitis agere malui. Vt enim terra (quidam inquit) quæ gignit ſalem nihil aliud gignit, ſic ingenia nata ad literas, ad alia non perinde valent. Me verò præter cætera vetus quoq; huius ſtudij amor impulit, vt ſuſciperem laborem, quem aut præſtare poſſet mea diligentia, aut perferre mea iuuenta; reſpiciens ſemper communem illam bonorum curam, quâ pulchrius putãt

quicquid faciunt, alijs fecisse quam sibi. Quanquam (audite Censores) nihil hic nouum pressum est in annum, sed lusus sunt ingenij tantùm, & diales cum discipulis opellæ, quas etiam ne ad solos pertinerent, populo dicaui. Cæterùm id semper unicè quæsiui, vt Ciceroni quem prælegendum publicè sumpseram, discẽtium quam maximè posset responderet eloquentia. Tantum enim Oratoris nomen vnum quemq; acquirere posse putabam, quantum per eius vestigia, qui vnus omnia optimè fecit cucurrisset. Etenim promptius semper ad exemplum componimur, & quod in altero placere & probari videmus, ipsi quoq; vt placeamus probemurq; per similia connitimur. Similes autem nos alijs raro natura præstat, plerumq; imitatio. Vt aliquis nisi nutricis voces imitãdo exprimat, patris sermonem loquẽdo imitetur, sit licet acerrima acie, diuino ingenio, quantus tamen, quam præclarus erit? mimicus, mutus erit. Ergo cum auditores meos per hanc vnam difficultatem sustento, manum scribentium rego, magnumq; Oratorem ad tabulam pono, ecce mihi opus istud promouẽti, res noua nascitur inter manus. Quæ illa sit verbo expedio. Imitari Ciceronem in scribenda oratione, nisi quis se penitus in

laten-

latentem eius aliam orationem induerit, vix quenquam posse video. Quamuis enim cultu ornatuq; ab ipso accepto se venditant pleriq;, magis tamen tenuem apud vulgũ quæsisse laudem, quàm apud doctos magnam aliquam ex eo virtutem excerpsisse videntur. Etenim vt corpora sana, ex quibus vires ex ijsdem pulchritudinem habẽt, ita oratio ex quibus robur ex ijsdem & formam accipit: neque vnquam similis ille vultus, oris maiestas, sed impostura, sed pigmentum erit, cui non vitalium quoq; est similis compago. Fallitur ille, qui ex alio suæ orationis vultum polire, vngues eius circumcidere, capillum pectere, gemmas acu reponere, istam imitationis præcipuam curã esse existimat. omnia enim hæc sine substantia sectari tam est ridiculum, quam quærere alicui vestem & habitũ sine corpore. Solum ego similem posse esse Ciceroni existimo, qui cum Cicerone similia iacit fundamenta suæ orationis, illa similibus argumentorũ munit præsidijs, vbi quid siue ponitur, siue aßumitur, siue deducitur, siue seorsim dicitur, siue inuicem componitur, ponit, aßumit, deducit, dicit, componit: quod Propositione, quod Enthimemate, quod Inductione, quod ducta in orbem Ratiocinatione conficitur, probatur,

 compre-

comprehenditur, ipse conficit, probat, comprehendit. Hoc enim agenti cætera se facile præbent, figuræ veniunt, numeri respondent, nitor sequitur, maiestas dicendi eminet, cuncta deniq; vt in familia bene instituta obsequuntur. Neq; ego fortaſse hæc aliquem animaduertiſse nego, præstitiſse tamen aliquem nescio, certè ipse hac de re neminem consului, quæsiui, vidi, excussi: & nunc iudicium tantùm meum legentibus ostendo, repugnantibus suum relinquo. Scio, scio optime impedita hæc & difficilia plurimis videri, sed ita studiorum vt virtutis via aspera semper & salebrosa erit. quanquam quid in hisce arduum & salebrosum eſse poſsit, quæ tantùm voluntate constant? quã si quis vera fide induit, vulgatum illud sed veriſsimũ experitur, Volenti nihil eſſe difficile. Neq; istud dico, quasi iam vnus omnia in Cicerone penetralia receſsusq; peruaserim, sentio enim quantùm modo ingreſsus hæream in limine, sed quod primus ad ista discentes duxerim; illud ante oculos habens, quod in rerum pulcherrimarũ aggreſsione alijs contigit, vt voluiſſe etiam abunde illis pulchrum & magnificum fuerit. Quantulum enim erat quod à me huic studio impertiri potuit? alias horas medendi cura, alias profitendi

labor,

labor, has lectio, illas scriptio, iam exercitatio, iam historia auferebat, ac plerunq; neq; tum etiam cum vacabat, tempus ad hæc studia vacabat. Itaq; in his quæ tibi do sæpe necesse erat obrepere somnum, vel si credere nolis, prout erat mihi interim genius desudare alibi volui, alibi nolui: satis tamen amplum putans me relicturum aliis patrimonium, si magis quæsissem bonam iuuenum institutionem, quam mearum laudum opes. nam scias, multum & apud me distare æra lupinis, & post editam nuper à me historiam, non puta litatum iam Deo Termino, aut hanc alteram historiam esse, cui præterquam quod plurima desunt, etiam Plinij decreto ab oratione, alia verba, alius sonus, alia constructio est. Sed ne vmbratili ac penè saltatorio digladiantium more, circa promissum remq; veram ludere videar, infero iam altius pedem, meãq; tibi mentem aperio. Ego cum plurimas in componẽda oratione cõdi leges & præcepta ac propè quotidie noua exire volumina, neq; tamen in iis ab omnibus dici satis omnia cernerem, viam ipse mecum aliquã quærebam, quâ nec ad scribendum sese comparantes longa ambage ducerem, nec ipse docendo id tantum agerem, vt ijdem semper docendi essent. Cùm tantùm

momenti in obseruatione solerti atq; imitatione Propositionum, Enthimematum, Syllogismorum, cæterorumq; quibus in oratione atq; in corpore neruis & ossibus sua inducitur species consistére mihi visum est, vt si quẽ per hæc artificia in aliquot Ciceronis orationibus exercitatum viderem, illum non solum non integras ex ijs componere orationes, sed etiam fundere vbique æqualiter dulces & decoctas, nisi desperato esset ingenio desperarem. Quod quidem quanquam neq; sine iudicio, quod à nulla parte operis separari potest, neque sine præceptis præstari queat, tale tamen est, vt ex vtrisque iudicium mihi magis quam præcepta desiderare videatur. Itaq; vbi iam aliquis necessaria salutem cõparauerit, nec resupinus spectansq; tecta, quid Exordium, quid Confirmatio, quid vna quæq; pars orationis exposcat perpenderit, is ad scribendum ita se comparet. Primum omnium rei nudæ rudem & quã breuissimam comprehensionem teneat. 2. Ex indigesto illo conceptu rei, tot quot habuerit in se propositiones seorsim deducat. 3. Ordinem propositionũ, quæ natura sua alteram antecedit aut sequitur, ne confundat. 4. deniq; vnamquanq; illarum vel ad simplicem Enuntiationem, vel Enthimema, vel Syllogismũ

aut aliud aliquod Ciceronis artificium reducat, siue in Syllogismo ea maioris locum, siue minoris, aut aliũ obtineat: siue non distinctis, siue etiam non totidem partibus, vt in Syllogismo consueuit inducatur, quæ vt nosti ab oratore, sicut etiam syllogismi perfecti nõ desiderantur. Atq; etiam vt hac de re non solum credas, sed etiam iudices, duo hic exempla subiiciam hac in iis lege, quæ difficillima est mihimet imposita, ne ad id quo egeo plures quam duas primas orationes Ciceronis Catilinarias assumam: tu saltem ex hoc quam infinitæ orationes ex aliquot Ciceronis educi possint, clarè videbis. Itaq; Catoni & Cæsari qui duo multa sæpenumero & magna in Repub: certamina sustinẽt in præsentia hanc disputationem damus. Vtrum milites auro & argento vti debeant. Ergo cum iis puta te nunc in Senatu esse, atque ea de re priorem Catonem sententiam rogatum dicere.

CATO.

Milites auro & argẽto vti nõ debẽt.

EXORDIVM.

Hoc (vt interim sis Cato) in hũc verbi gratia modum facere poteris. Dices odio haberi istos, qui Reip: consilia

consilia dant. te tamen id non curare, modo vel id vnum efficias, ne milites auro onusti prælia obeāt. Hæc est rudis summa exordij. quam si consideras ad tres potest reduci propositiones. 1. est, quod odio habentur qui consilia Reipub: dant. 2. quod tu id non cures. 3. quod id vnum persuadere velis, ne milites auro vtantur: quæ quidem propositio est orationis. His igitur propositionibus factis, quamlibet tu illarum reduc (seruato vt dixi earum ordine) aut ad Syllogismum, aut ad Enthimema, aut etiam vt simplicem enūtiationem tracta, sed ita vt Cicero aliquam suam. verbi gratia in re proposita, ex prima poteris facere argumentum tale, quale facit Cicero in responsione ad confutationem Catilinariæ primæ in verbis illis: Ego si id optimum factu iudicarem P. C. Catilinam morte mulctari &c. tu ad normam & similitudinem facti illic argumenti tuum quoque ita fac.

Optimum esset Rempublicam multorum consiliis abundare, si non odio haberentur ij qui Reipub: consulunt.
Sed odio habentur: Ergo.

Maiorem pone primo loco vt Cicero ita: Optimū semper iudicaui P. C. Rempublicam multorum consiliis adiuuari, neque vnius solum capite & iudicio niti. *Primam partem propositionis huius expoli vt Cic.* Etenim si multa regna & clarissima imperia Romanorum, Carthaginensium, Rhodiorum, aliarumque com-

plurium

plurium nationum, populi sui consulta non modo non repudiauerunt, verùm etiam semper æstimauerũt, certè non erat verendum mihi, ne in hoc grauissimo consessu, vbi sentire quæ velis, & quæ sentias dicere licet, sententia mea minus grata auribus vestris exciperetur. *Hic deinde secunda pars maioris erit:* Quod si etiam id accideret, ita & huc vocatus, & in hoc regno educatus sum, vt præterquam ex veritate consulendo, tunc abunde mihi partum amoris, aliter odia & inuidiam stare contra me hominum putarem. *Minorem postea statim pone vt Cic: in illis verbis: Quanquam nonnulli sunt in hoc ordine, &c. tu verò tuam ita:* Quanquam nunc multi sunt tales, qui aut propter publicum odium tacent, aut si non tacent, propter priuatum commodũ loquuntur: qui suo affectui aut respectui indulgendo, communem omnium libertatem corrumpũt, quorum adulationem vel silentium secuti multi, nõ solum ipsis similes, sed etiam imbecilles, si veritati consulas, statim simultates & odia istorum ineas. *Conclusionem argumenti quod consuetum est Oratoribus omitte, & neq; hic apud Ciceronem est, quæ sit propria huic argumento, sed communis toti orationi.*

Absoluta prima propositione exordij, secundã quod videlicet inuidiam non cures aggredere. quam reducere poteris ad syllogismum similẽ illi quem facit Cic: in Catilinaria secũda, Prolepsi secũda, ab illis verbis:

O conditionem miseram, non solum administrandæ, verùm etiam conseruandæ Reipublicæ, &c. Tu in tua re, fac prius vt ibi sit argumentum tale.

Si de Republica dixero, magnam inuidiam incurram,
Sed eam non curo: Ergo,

Maiorem incipe, vt ille ab exclamatione cum commiseratione. O conditionem miseram, non solùm administrandæ, verum etiam conseruandæ Reipublicæ. *Amplifica deinde maioris vtrasq; partes, & subiectũ, & prædicatum, vt etiam Cic: facit. Subiectum ita:* Nunc si ius dicendæ sententiæ accipias, auaritiam, libidinem, luxum arguas, nullius delicti cuiquam gratiam facias, quod ex Republica est promas, alios in id ipsum inducas: *Prædicatum deinde ita,* non tu publico bono studere, non vtilitati omnium prouidere, non libertatem preteferre, sed cõtradictionibus omnia destruere, arrogantiam tuam publicè ostentare diceris: & sunt qui te, si quod tui muneris est facias, nõ prouidum sed factiosum, non constantem ciuem, sed Rempub: turbãtem aduersarium existimari velint. *Minorem deinde pone vt Cicero.* Est mihi tanti P. C. huius inuidiæ falsæ atque iniquæ tempestatem subire, *quæ talis est, vt etiam inchoationem tertiæ propositionis exordij exposcat, quam tu non neglige,* dummodo inter tot tantaque vitia, vel vni obuiam iero. *Conclusionem deinde pone, repetita iam clarè tertia exordij propositione, vt*

ne, vt

ne, vt Cicero facit ita: Dicar sanè æstimatione istorũ tristis, dummodo quod pridem fieri oportuit, aurum à militantibus amoueam. *Hic vt vides iam propositio est tertia, neq; amplius necesse est eam ad aliquod peculiare artificium reducere. Id tantum fac (quanquã apud alios iam factum esset) vt magis ex iis quæ fecisti exordium id esse appareat. Quod facere poteris, si leges & virtutes exordij propositionibus iam confectis addideris. Quod egregiè præstare potes per illa verba Ciceronis in Catilinaria secunda. Prolepsi prima, Quos si meus consulatus quoniam sanare non potest sustulerit, &c. tu verò ita:* Quod saltem vnum, si ab illis, quoniam in alia nequicquam valemus sustulerimus, non graui modo malo laborantem militiam, verum etiam ipsam patriam liberabimus. Nulla est enim natio quam pertimescamus, nullus rex qui bellum nobis inferre possit. omnia sunt Regis nostri virtute & auspicio domi forisq; pacata, domesticum tantum bellum manet, intus insidiæ sunt, intus inclusum periculum est, intus sunt hostes, cum luxuria nobis, cum petulantia, cum peruicatia certandum est. Huic ego me bello ducem semel professus P. C. suscipio curam perditorum morum, quæ sanari poterunt quacunq; ratione sanabo, quæ resecanda erunt, non permittam ad perniciem Rei publicæ manare. *Atque hoc pacto vt vides, ex tribus tantùm propositionibus, consummatum exordiũ est.*

CONFIRMATIO.

Exordio perfecto, pro confirmanda propositione, quam tractare instituisti, omni arte conquirendæ tibi sunt rationes, quas siue per locos peruestigaueris, siue tuomet iudicio adduxeris nihil refert, modo vt similiter ac in exordio, per syllogismos, enthymemata, &c. eas. Verbi gratia, cur milites auro vti non debeant. Prima ratio poterit esse ista, quia auro & argento resoluitur rigor militaris. Hanc verò propositionem ponere poteris in argumētum simile illi quod facit Cicero in exordio Catilinariæ I. Quousq; tandem Catilina abutere, &c. tu in tua re sic.

Quo resoluitur rigor militaris prohiberi debet.
Sed auro & argento resoluitur rigor militaris,
Ergo prohiberi debent.

Minorem primo loco pone, vt Cicero. Quousque enim P.C. militem luxu diffluere patiemur? quàm diu nostrâ indulgentiâ in deteriora proficere sinemus? quē ad finem omnia summa tantùm dissimulatione spectabimus? Nihilne nos mutati patriæ mores, nihil solutus antiquus rigor, nihil corrupta disciplina, nihil patientia, nihil labor, nihil per omnes illecebras emollita militia mouebit? Ab auro ista nasci non videmus? ab opulentia instrui petulantiam non sentimus? Iam periculis, iam virtute, iam obedientiâ, locupletissimum quenq; fatigari non animaduertimus. *Postea ad complexio-*

xionem

xionē per exclamationē descende, O tēpora, ô mores! *quā partim ratione per dissimilitudinē posita inuolue*: Serpit & crescit quotidie malum, animus ipse militum cum corpore tenetur, hoc tamē nemo videt: videt? imo verò vitia ridet, & luxu diffluere seculum vocatur. Nos autem viri prudentes, prouidere Reipublicę videmur, modò talium numerum & agmen comparemus. *partim manifestè repete*, Admittere me hercules nisi ferro asperum, totum tectum galea vultum, aut ferarum tergis horrentem militem in castra non oportuit. *Atque ad hunc modum tractata conclusione, ad maiorem quæ vltimo loco posita est perge. quā similiter inductione exemplorū comprehēde & illustra vt Cic.* An verò Spartacus ille, cùm arma in Romanos moueret, omne aurum argentumque nec bello quidem vtile credidit: nos etiam ocio & quieti salutare putabimus? Nam illa nimis antiqua prætereo, quod apud Romanos diu ferreus annulus virtutis insigne fuit, aureū prœterquam legatis & triumphantibus induere non licuit. Fuit, fuit ista quondam & apud nos innocentia, vt non minus bonis moribus in castris disciplina custodiretur, quam alibi seueris legibus licentia coerceretur. Reducere nunc quoq; possemus eandem gloriam, non deest Reipub: consilium, neq; autoritas huius ordinis, nos, nos apertè dico P.C. desumus. Decreuit quondam Fabricius Censor, ne quis aurum argentumvé in castris haberet, num & ipsis Ducibus præterquam pateram &

 salinum

ſalinum argenteũ ſolum conceſſum circumferre licuit? Meliori adhuc exemplo Feſcennius Niger, ex caſtris omne aurum argentumq; ſuſtulit, num poſtea & duces ipſos in vaſis ligneis veſci puduit? At nobis inter varia delitiarum inſtrumenta, lecti adhuc precioſi, & grauiora armis pocula deeſſe videtur. Videmus enim diſcurrentes per pectora militum torques, indutos argento equos, ſplendere cælatos auro exercitus. quæ omnia ſtatim inter initia, ne maior nobis pugna cum luxuria, quàm hoſtibus eſſet prohibere oportuit. Sinimus & ſinimus iſta, non ad explendam eorum ſatietatem, ſed ad inuitandam peiorum cupiditatem. *Hactenus Cicero tractauit ſuam rationem.*

Secunda verò ratio eſto: quod periculoſum ſit militibus aurum concedere. Quam rationem tractare poteris ſecundũ illa verba Ciceronis in Catilinaria 1. Nobiſcum verſari iam diutius non potes, nõ feram, non patiar, non ſinam, &c. Tu itaq; conficies ſimilem illi loco Syllogiſmum.

A quo periculum Reipublicæ excitari poteſt, prohiberi debet,
Ab auro & argento periculum Reipublicæ excitari poteſt.
Ergo prohiberi debent.

Minorem vt illic primo loco pone. Diſsimulare hoc ego ſaltem diutius non poſſum, quantum valebo non feram, non patiar, non ſinam. Magna diis immortalibus habenda eſt gratia, atque his ipſis diuis tutelaribus, antiquis cuſtodibus huius regni atque imperij, quod nihil adhuc tetrum, nihil pernicioſum, nihil impium ha-

ctenus experti fuimus. *Postea maiorem*, Non est tamen diutiùs periclitanda summa salus Reipublicæ. *Iterum redi ad illustrationem minoris cum Cicerone.* Quoties alicui insidiatum est ab hostibus, non prius vllus dolus quam merces militem cæpit. Cùm proximo bello, ad sollicitandos & Ruthenos & Cosacos à Turcis sacerdotes ritus ipsorum dimissi essent, nisi nefario sceleri prisca adhuc virtus obstitisset, non tam religio in perfidiam, quàm aurum valuisset. denique quotiescunque insignis aliqua pernicies ducum, seditio exercitus, proditio Reipublicæ audita est, sæpiùs ab auro venit: quod nunquam non sine summo periculo inter milites versari potuit. Nos verò Rempub: vniuersam, téplа deorum immortalium, tecta vrbium, vitam omniũ nostrum, Regnum denique totum in manibus militum habemus. *Conclusionem deniq; huius argumenti fac:* Quare quoniam omnia quæ huius sanctissimi imperij, disciplinæq; maiorum propria sunt, facere non possumus, faciamus saltem id, quod primum esse videtur, & ad communem omnium nostrum salutem necessarium. Nam si quippiam aliud corrigere velimus, residebit tamen hæc pestis & periculum in venis atq; in visceribus Reipubublicæ: sin id, quod vos vnũ P.C. hortor sustulerimus, extinguentur atque delebuntur, non modo aliæ in Republica pestes, verum etiam ipsa stirps ac semen malorum omnium.

Finita iam ista ratione, tertia esse poterit: quod aurum

rum sit origo & fons omnium malorum. Ex qua facere poteris enthymema, ad similitudinem illius Ciceronis in Catilinaria 2. in verbis illis: O fortunatam Rempub. siquidem hanc sentinam huius urbis eiecerit, &c. Enthymema tale erit.

Aurum est vbique origo & fons malorum
Ergo & in castris.

Antecedens incipe ab exclamatione: O fortunatas Respublicas, siquidem hanc sentinam scelerum eijcerent. Nullum enim mehercle malum mihi non ab auro importatum videtur. Quid enim mali aut sceleris fingi aut excogitari potest, quod nõ istud intulerit? quæ petulantia, quod facinus, quæ fraus, quod scelus, quis furor, quæ turpitudo, quæ libido, quæ iniquitas, quæ luxuria, quæ ignauia, quod flagitium, quæ temeritas, quæ amentia, quæ desperatio inueniri poterit, quæ non vnà cum auro irruperit? Quæ cædes vnquam facta est sine illo? quod parricidium non propter illud? Iam verò quæ tanta vis in re vlla fuit, quanta in illo? quod sæpe in necem amici compulit amicum, qui non potuit interimi per inimicum. Hoc patres liberosque inter se committit, hoc venena diluit, hoc gladium non solum militi, verum etiam percussori porrigit. Iam verò quid mundum in regna atque adeo tot membra discerpsit? quid tam subito tantum miserorum numerum intulit? Nemo non modo diues, sed neque pauper, vllo in angulo reperiri poterit, quem nõ perinde solicitudo maceret, siue eius ipsi multum adsit, siue multum desit. Atque

que vt diuersa auri mala, in dissimili ratione perspicere possitis, nemo mortalium in scelere fuit adeo timidus, quem non ad omnem audaciam accenderet, nemo in opulentiâ tam innocens, quem non sordidâ curâ, metuq; sui pollueret. Atque idem tamen omnium scelerum & flagitiorum instrumentum, frigore & fame, ac siti, & vigiliis vitam hominum conficiendo, apud omnes in honore habetur, cùm tantùm illi precium faciat, sola cupiditas mortalium & calamitas. *Hactenus antecedens tractatum fuit, cum sui probatione: nunc consequens pone, cum amplificatione ab adiũctis militum, vt Cicero facit.* Hoc verò si procul à milite esset, si ex castris remoueretur innocentum quoq; hominum flagitiosa pestis, ô nos beatos, ô Rempub: fortunatam, ô celebrãdum diem comitiorum nostrorum. Non enim iam sunt mediocres militum libidines, non humana & toleranda auaritia: nihil cogitant nisi luxũ, nisi prædam, nisi rapinas. Mercedes suas profundunt, stipendia abliguriunt, mox sumptibus exhausti sæui & truces in aliorum fortunas feruntur, vt ab ijs pecunia mitigantur. Quod si in cultu & habitu fulgorem solum & decus quærerent, essent illi quidem vituperandi, sed tamen essent ferendi: hoc verò iam quis ferre possit, fortissimos viros auro deuolui ad ignauiam, continentissimos ad rapinas, temperantissimos ad luxus? qui mihi accubantes in conuiuiis, complexi mulieres impudicas, vino languidi, confecti cibo, sertis redimiti, de-

bilitati ſtupris, eructant ad menſam ſermonibus ſuis gloriarum theſauros & victorias Alexandri.

Quartam rationem poteris deducere, à collatione ſenatusconſulti Carthaginenſium, cum re quam ſuades: tractare verò ſecundùm illa verba Ciceronis in Catilinari 1 1. Si te parentes timerent atque odiſſent tui, &c. facto tali Syllogiſmo.

Si vini vſus alibi vetitus erat militi, multo magis debet auri vetari.
Sed primum:
Ergo & ſecundum.

Minorem prius pone vt Cicero. Si vinum militi, vt olim apud Carthaginenſes guſtare capitale fuit, ego nunc auferrem, vt opinor, oculis quoque veſtris, libidines militum edocti, in ſententiam meam concederetis. *Maiorem deinde,* nunc aurum & argẽtum, fontes ac faces omnium malorum & libidinum, tolli & amoueri cenſeo: *Tandem concluſionem,* vos & meum conſilium approbare, & aliorum exemplum ſequi, & veſtris malis mederi pigebit?

Quinta ratio erit: quia Senatui quoq; grauis eſt iſte militum luxus. Quam rationem tractare poteris, ſecundùm illa verba Ciceronis in Catilinaria 1. Quãquamquid ego te inuitem, à quo iam ſciam eſſe præmiſſos, &c, Tu ita:

Si vobis grauis iam eſt iſte militum luxus, prohibete illum.
Sed primum:
Ergo & ſecundum.

Maiorem

Maiorem omitte, minorem pone per correctionem. Quanquam quid ego hæc vobis persuadeo? à quibus ipsis, sæpiꝰ iam hoc in loco de hac re questum esse sciã, sciam à principibus viris dictas esse acerrimas & fortissimas sententias, à quibus etiam ærarium ipsum fatigatum, communique nunc cum finitimis sorte, regnum quoque hoc afflictum memoratum esse sciam. *Conclusionem deinde pone,* Vos vt diutius erogare pecuniam in luxum velitis? vos vt ferre tantam licentiam possitis? à cuius sæpe immanitate, apportatam ab ijs victoriæ lætitiam, ad fletum, & ad opem deorum implorandam transferebatis.

Sexta ratio erit: quia non est proprium militum auro commendari. quam tractabis per eundem locũ Ciceronis vt sequitur, tali Syllogismo:

Si non est proprium militum auro commendari, id ipsis prohiberi debet.
Sed primnm:
Ergo & secundum.

Maiorem pone, Prohibete tandem aliquando, quod iam pridem sua militibus fortuna & cõditio prohibuit. Neque enim hoc pacto ipsis vllam inferretis iniuriam, sed omissam reuocabitis disciplinam. ad hanc illos seruandam sua voluntas duxit, stipendium alligauit, sacramentum adstrinxit. *Minorem deinde,* Nunquam miles auro plus quam ferro gloriatur, nunquam splendidus magis quam saucius spectatur. Hic nos vnde scire poterimus, quo animo sit in laborem, quâ patientiâ in

inopiam, qua contumacia in aduersa, si ad tot castrorũ munera acceptum, neque audimus pati quicquã, neque videmus. *Conclusionem huius argumenti, vt vides natura quoque sua maior inuoluit. Hoc itaque modo tractatis hisce aliquot rationibus, quas & plures adducere, & si in aĩias orationes excurreres, vberius & lætius tractare posses, ad perorationem descende.*

PERORATIO.

Hanc, quanquam difficile, per simile cum prioribus artificium ducere, est enim coaceruatio quædam, vt vocant Rhetores, & cumulus orationis, tamen & ipsa saltem perorationi alicui alteri in Cicerone similis esse poterit. Verbigratia in re præsenti, secundùm illa verba Ciceronis, quæ habentur in Catilinaria 2. in fine construi potest: Nunc illos qui in vrbe remanserunt, atque adeo. &c. Tu quoque facta breui enumeratione proq́ motu, metum incutiendo, more Catonis ire poteris. Quamobrem P. C. capessite Rempublicam, date præcepta, componite militiam, satis iam à vobis licentiæ indultum est, curate iam vt castris reddantur omnia non bacchanalibus similia, gladij, arma, ferrum à milite, pro auro tractentur. Nemo sub signa inuitus it, nemo trahitur, nemo cogitur, cui militia, simul obedientia, disciplina placeat, necesse est. sin

autem

autem resoluere hæc quisquã voluerit, sciat hic quoq; esse ordines vigilantes, esse egregios magistratus, esse fortem Senatum, esse leges, esse carcerem, quem vindicem rebellium & peruicatium maiores nostri esse voluerunt. *Hactenus Cato.*

CÆSAR.

Milites vti auro & argento debent.

Sicut in priori oratione componenda, ita in hac progrediendum est. Primum omnium faciendũ exordium, cuius summa hæc esse poterit. Dices nunquam oportere blandiri vitiis, sed si contra Catonem, milites auro & argento vtentes non defenderem, blandirer vitiis. itaque defendam eos. Hinc possunt confici tres propositiones. Prima, quòd non oporteat blandiri vitiis. 2. quòd si contra Catonem non defenderes milites auro vtentes, blandireris vitiis. 3. quòd eos defendere velis. Hæ sunt itaque propositiones, quæ ad aliquod Ciceronis artificium reduci debent.

Prima tractari poterit secundum illa verba Ciceronis in Catilinaria 1. Vtinam tibi istam mentem dij im̃ortales donarent, &c. illic tu fac argumentũ tale.

Nunquam oportet blandiri vitiis,
Sed dum ea corrigimus lenitate non blandimur vitiis,
Ergo lenitate sæpius corrigenda vitia.

 Maiorem

Maiorem primo loco pone: Vtinam P. C. eam Dij immortales nobis mentem donarent, vt nullum vnquã in Republica vitium paruũ existimaremus. *Hanc maiorem, ex duplici in emendandis vitiis via disputãdo agita, vt Cicero facit per correctionem, primo ad lenitatem propendendo, sic:* tametsi scio, quanta cuique in corrigendis ijs ratio habenda sit, qui non magis iræ suæ & seueritati, quàm remedio & bono Reipub: consultum esse studet. *Deinde ad seueritatem inclinãdo:* Sed est mihi tãti etiam atrocitas & crudelitas, dummodo ea Reipub: periculis succurrat. *Postea pone minorẽ,* Sedtamen, vti rectè consulas, quid odio & pæna, quid supplicio & venia, quid remedio & dissimulatione opus habeat, considerandum est. *Confirma minorem:* Neque enim omnes virtutes probantur, & quædam vitia altius quandoq; insident, quam vt ea possis sanare. *Tandem sequitur conclusio:* Quamobrem vt iam initio dixi, leuissimis quoque prospiciendum est, ac si mihi creditis, sæpius moderatione & bono exemplo: vix enim vnquam tantam vim habuerunt bonæ leges, quã tam boni mores, vix tantum in vitia pæna, quantũ pænitentia profuit. Sin autem sæuitiam & austeritatem in dominantibus requiremus, transcendet breui etiam ad optimos crudelitas, crescet licentia, suscitabitur auaritia, inuoluentur eadem ruina boni, vt à nobis non permissa in improbos iustitia, sed immissa ad regentes

licen-

licentia esse videatur. *Hoc modo tractata prima propositione:*

Secundam ducere poteris secundùm illa verba Ciceronis in principio Catilinariæ 1. Cupio P.C. me esse clementem, cupio in tantis &c. vbi facies Syllogismũ talem.

Nolim blandiri vitiis,
At si contra Catonem non defenderem milites auro vtentes blandirer vitiis. Ergo eos defendam.

Maiorem pone primo loco: Cupio P. C. me esse seuerum, cupio in Reipub: periculis non dissolutus videri, & viri quoque fortissimi ac grauissimi Catonis sententiam mecum ipse repeto: de opulentia is & pecuniis nostrorum militum questus est, atq; ex iis plura in dies singulos malefacta nasci disseruit, neque vllum esse, qui intestinam hanc Reipub; perniciẽ demoliatur. *Minorem deinde pone:* Si post hanc sentẽtiam iuero, si milites oppugnauero, certè verendum magis erit mihi, ne non hoc omnes boni blandius à me, quã quisquam seuerius factum esse dicat. Verùm ego idcirco, quod vnumquenque nostrum carere auro oporteret, hac de causa vt milites defendam, adducor. *Conclusio huius argumenti eadem est cum propositione tertia exordij, proinde hic tractari statim poterit, ita vt sequitur in Cicerone.* Tum denique id quoq; ipsis prohibebo, cùm iam nemo nostrum tam diues, tam opulentus, tam rebus omnibus instructus fuerit, cui aurum

non

non eorundem ac militi facinorum causa esse possit. Quamdiu quisquam erit, quem pecuniæ, sumptus, æra, tabulæ delectabunt, defendam milites, & defendam ita, non vt fauere & indulgere causæ illorum, quàm saluti Reipublicæ videar.

CONFIRMATIO.

Quanquam posset hic separata à confirmatione confici refutatio, vbi Catonis dissoluerentur argumẽta, tamen ne difficultatis nouæ accessione, (cum non sine ratione difficilius semper creditum est refellere, quàm accusare) discentem fatigemus, interim labefactando in argumentis Cæsaris priores rationes & hoc & illud quod promisimus, præstabimus.

Prima itaque ratio esto: quod turbaretur Respub: si militi aurum adimeretur. Hanc rationem tracta secundùm verba Ciceronis, quæ statim sequuntur in eadem 1. Catilinaria. Etenim quid est Catilina quod iam amplius expectes, &c. facto illic tali syllogismo.

Si turbatur Respub: satius est nihil inducere noui & pacem seruare.
Sed turbatur: Ergo.

Maiorem primo pone: Etenim quid tandem P.C. hac rogatione proficimus, si turbantur, si dissoluuntur omnia: Satius est plurima non attingere, vt quies sit, mihi credite, & pacem quæ difficilius quam bellum administratur retinere. *Minorem deinde pone:* Nouis rebus

commo-

commouetur semper Respub: graues sunt armatis leges, morte adhuc grauior futura est, quam in ipsos paratis contumelia. *Minorem hanc proba, vt in sua re Cicero facit. quia verò tres partes habet, singulas separatim & suo ordine tracta, præmissa attentione breuissima vt Cicero.* Quæ omnia licet mecum recognoscite. *Primam partem ita:* Meministisné quoties res nouas, veteres, vt Palatinos, Reges, leges, adiectas, reiectas volebamus, toties penè iacturam Reipub: factam? Num effugere nunc quoque poterimus, in re tāta, tam indigna, tam inusitata, non modo aliquem motum, verum id quod à milite sæpius venire solet insignē aliquē metum? *Deinde iterum idem confirma:* Videmus hanc Rempublicam belli magis quàm pacis artibus instructam esse, cùm ex militibus nobiles facti, antiquum adhuc lustrationis institutum, perenne equitum nomen, atque manendi in agris, velut ex aperto & acie hostium excipiendorum causâ, morem retineāt. Num inficiari vultis, hanc rogationem, non omnes nobiles, omnes ciues, vniuersam propè Rempublicam commouere posse, cum quiescentibus cæteris, à solis qui stipendia accipiunt, magnum semper videmus excitari posse incendium? *Hoc facto, secundam partem minoris, quòd graues sint militi leges cōfirma, prout sequitur in Cicerone.* Quid? cùm illa sancta sint tātum militum vincula, signorum amor, eorumque deserendi

nefas, putatiſné facile ad veſtra arbitria, veſtra iudicia, veſtras leges, velut claſsicum dimicantes moueri poſſe? Nihil agendum, nihil moliendum, nihil cogitandum, quod non modo rationem non habeat, verùm etiam diu maneat planeque valeat? *Hoc adhuc, & tertiam partem minoris pone ſecundũ verba Cicer: ita:* Cognoſcite tandem mecum, quantum vniuerſis negotij contrahatur, iam intelligetis, multo magis ad ſalutem Reipub: pertinere omnia aduertere, quàm omnia perſequi. Dico milites ſæpius (non agam obſcurè) ob tardius numerata ſtipendia, ſeditiones excitauiſſe, irã; arma in ſuam patriam acuiſſe. Num id quoque nos deſideramus? quid eos irritamus? experiemur ſi vultis. Video enim eſſe quoſdam qui id ſuffragiis ſuis enituntur. O dij immortales, vbinam gentium ſumus? quam Rempub: habemus? in quo orbe viuimus? Hi hi ſunt P.C. qui arma, manus, capita ſua, pro noſtris capitibus continuò ferunt, quibus nuper nos diſcrimen Reipub: & virtus ipſorum obligauit; hoſce nos ſpoliare tentamus, & quos præmiis cumulare deberemus, eos nouâ contumeliâ vulnerare volumus. Excitauerunt igitur alibi milites ſæpe ob ſtipendia ſeditiones, induxerunt ſeditiones. non tribuni, non centuriones, ius ſuum obtinuerunt, nihil modeſtia, nihil imperio gerebatur, in patrio ſolo auditum eſt claſsicum, illata ſigna, intentatæ vrbibus minæ. Hæc omnia nobis ſcilicet adhuc deſunt, maiori nunc cauſâ vt ea habeamus accerſamus, pœniteat nos pacis & tranquillitatis publicę.

Tractata

Tractata sic minore, conclusionē cum Cicerone pone: Quæ cùm ita sint P. C. etiam atque etiam considerate quò progrediamini, alijs potius vitiis frenos imponite, inter arma pænæ vel metui locum ne quærite. Nimiū malorum Rempub: fatigat, noua ne accersite, quæ satis afflicta excipiat.

Secunda ratio erit: quòd cum aliis non prohibetur aurum, nec militibus prohiberi debet. quæ tractari potest secundum illum locum Ciceronis in 1. Catilinaria. Quid enim est Catilina, quòd te iam in hac vrbe delectare possit, &c. vbi facies talē syllogismum:

Sed promiscuus est auri vsus, militi prohiberi non debet.
Sed primum:
Ergò & secundum.

Maiorem vt Cicero facit, & tu omittes. Conclusionis vis in principio erit: Quid enim est P. C. num solum emendatione dignum, quod milites auro vtantur? *Minor statim sequitur:* cùm vix quisquam sit in hoc regno, quem non eius cura teneat? rarus qui illo non splendeat? *Hæc statim probatur:* Quis modus vspiam domesticorum sumptuum est? quæ comparandarum opum satietas? cui non quantum parare potest, tantum & habere permissum? quæ multitudo censuum, quæ captatio questuum, quæ computatio facultatū cuiquā sufficit? Vbi verò nunc illa maiorum moderatio? quibus vltra centum millia numerus ipse notus non erat, nonne iam ad multiplicata centena millia & amplius

poſsidendo peruentum eſt? Quæ ego prætermitto & facile ſileo, ne aut inuidere felicitati publicæ, aut quēquam ex eo nocentē facere videar. Prætermitto quod maius eſt, copias & opulentiam vrbanorum, & in communi auaritia, variis artibus aurum iam & argentum carius factum. *Minor hæc quanquam longius multo extenditur & probatur à Cicerone, hic tamen ſubſiſtere potes, & tuam rationem finire.*

Tertia ratio ſit, quod ablato militi auro, nihil eſſet quod eum delectare poſſet. Hanc rationem tractare potes ſecundum eundem omnino locum, vbi adhuc Cicero ſuā proſequitur minorē, facto tali ſyllogiſmi.

Si omnia militi dura & aſpera ſunt, concedi ſaltem debet aurum,
Sed primum:
Ergo & ſecundum.

Præmitte prius attentionem huic argumento vt Cic. Ad illa venio, quæ non ſolum multùm iuſti doloris in militibus excitare, ſed etiam non nihil in nobis miſerationis mouere poſſent. *Maiorem deinde pone:* Poteſtné cuiquam P. C. hæc lex æqua videri, ex quâ cæteri volentes omni opulentia circumfluāt, militibus tantum patiendum eſt quod cenſueritis, cum ſciatis eſſe neminem, qui queſtum ſciat vllum, qui alium quam quem vita & periculis pariat, fructum habeat. *Poſtea minorem:* Ac iam iſta omitto, neque enim non omnia ſunt dura atque miſera. *Proba minorem:* Quoties verò fatigatos cælum nudum & aſperum, quoties poſt diem

diem triſtis iterum nox,obrutos niuibus,pruinis, quandoque pro vallo obligatis pernoctantes vulneribus excipit? quot annis abductos à domo, parentes, propinqui, dubij pauidiq; proſpiciunt? Non dies, nox, ſtatio, pugna eſt, vbi eos non pericula ac totidem penè ad mortem viæ circumſtant, neque tamen vt auri vſu lætior ſit horum conditio cõcedimus. Quoties iam, quoties iam vltimum profectos lugubris in patriam fama tantum retulit? quoties Reipub: læta nonniſi per eorũ ſanguinem venit? *Poſteà concluſionem:* tamen iſta reſpicere nolumus,quibus quidem magnum adhuc beneficium facere videmur,quod vt animam retineant,permittimus.

Quarta ratio ſit, quod exigua ſint ſtipendia militum. Quam rationem proſequi poteris ſecundum verba Ciceronis prout ſequũtur,facto tali argumẽto.

Si anguſta ſunt ſtipendia militum, aurum eis concedere poſſumus.
Sed primum:
Ergo & ſecundum.

Maiorem primo pone per ironiã cui inſit attẽtio,ita: Iam verò quæ militantium ſunt æra? ſic enim illi quoque periculo ne nimiis ſtipendiis diffundantur in luxuriam occurremus. *Poſtea pone minorem:* Creuerunt immenſum omnium rerum precia, quis pluris tamen quàm ex antiquo aliquot & viginti denariis in menſem corpus & animam militis æſtimauit? Si cibo victuque hoc tempore iſta non ſufficiunt, cur vltra ſuperba lege ingratam ignobilemque militiam reddere paramus?

Quid, quod ex eodem vestes, equi, arma comparanda sunt? Quid, quod seruitia alenda? necessaria castrorum prouidenda? & plerunque antequam emeritum accipiatur ex proprio omnia sustentanda? *Tandē cōclusionē:* Quâ tandem in parte ista ponere vultis? *Confirma totum id comparatione vt Cicero:* Serui me hercle mei, si quid auri & argenti haberent, id illis non adimendū putarem, vos vestris militibus arbitrabimini? *Confirma iterum totum collatione vt Cicero ibidem, facto tali syllogismo.*

Si omnibus interdiceretur aurum; militi concedendum putarem.
Sed non primum: Ergo.

Maior primo ponitur. Et si à toto regno aurum & argentum abdicatum esse viderem, durius reliquos ciues quàm milites habendos censerem: *Minor sequitur:* nunc cum omnes opibus & auro collucere videmus, *Deinde complexio:* dubitamus quod merito sensus mentesq; ipsorum vulnerare posset, aurum saltem ipsis præmio concedere.

Quinta ratio sit ab exemplo, quod non solum non est ablatum aurum militibus, sed sæpe præmia data. Quam tractabis secundum verba in eadem Catilinaria prima. Quanquam quid ego te inuitem à quo iam sciam esse præmissos, &c. facto tali Syllogismo.

Si alibi præmia sunt militibus data, nos eis aurum & argentum auferre non debemus.
Sed sunt data: Ergo.

Mino-

Minor per correctionem præcedit: Quanquam quid ego nouum, vt quidam falluntur adfero? cum sciatis, agros, torques, coronas aureas, sæpius militibus dono fuisse datas, sciatis pelles, annonam inter integros exercitus distributam, pecuniam, donatiua ab ipsis imperatoribus data. quibus sanè etiam annulos, cum principiò exiguum aurum esset, quamuis ferreos, ipsorum tamē virtuti sciatis esse permissos. *Maiorē deinde pone:* Vos autē iam illos in superbissimæ legis vincula conijciatis? ad quorum sæpe manus & arma vestras preces & supplicationes à templis & altaribus conuertebatis. *Tandem conclusionem:* Erubescamus profectò, si quis peculio quoque castrensi, negatum apud nos locum esse obiiciat. *Hactenus quoque Cicero.*

Sexta ratio sit, quòd præmiis excitatur ad fortitudinem miles, ex quâ fac talem syllogismum:

Quo excitatur miles ad fortitudinem prohiberi non debet,
Sed auro excitatur ad fortitudinem: Ergo.

Hunc syllogismum tracta secundum eundem Ciceronis locum, prout sequitur. Neq; enim tibi hæc res affert dolorem, sed quandam &c. Atq; omissa maiore Enthymemate vt Cic: vtere. Antecedēs primo pone: Neque enim præmiis & honore vlli sunt maiores ad virtutem & gloriam stimuli. *Proba:* Horum amore miles tædium tolerat, laborem exudat, vitam in aciem mittit, non recusat æstiui solis ardorem, non fugit sine

pellibus

pellibus duram hyemem. Ferre in pericula aurum & argentum, idque ad ſigna deponere multis gentibus & Romanis quoque conſuetum fuit, nec ſegnius quiſquã pugnauit, ac citius caſtra deſeruit, quàm cùm nuda eſſe vidit. *Deinde pone concluſionem:* At ſi nos idẽ militi permiſerimus, ſtabit quoque noſtra Reſpublica, creſcet imperium, miles in manu habebitur, dabit frequens nomina, ad delectum cum voluerimus reſpondebit. ponite eum ante ſigna, ponite in prima acie, affirmo vobis quo plus dederitis, eò fortius pugnabit. Ad huius profectò ordinis ſtudium verti deberent illi quibus magni cupimus eſſe ſumptus noſtri, oſtentare opes, non in coaceruando famulitio, ſed in exornanda virtute, conciliare pecuniãm non ad implenda æraria, ſed ad coęquandas cicatrices militantium. Habemus vbi collocemus, præclaram illam gloriam, tot ſeruorum, lecticarum, venantium quibus inaniter circumfluimus & conficimur.

PERORATIO.

Hæc fieri poterit ad imitationem perorationis Catilinariæ primæ. verbi gratia ita: Quare P. C. non inducite quod non induxerunt patres maioreſque veſtri, mementote ciues iſtos veſtros & milites eſſe, eandem nobiſcum libertatem, idem fortunæ conſortium habere: videte quâ conditione eos à ſeruis & captiuis velitis eſſe. Vrbana illa quæ obiiciuntur vitia ſunt:

nunquam

nunquam tantam luxuriam in campo & ſolario, quantam in vrbibus & tectis eſſe credite: iubete milites meliora ſemper de vobis ſperare. Quod ſi feceritis, polliceor vobis hoc P. C. tantam fore ipſorum in ſuſcipiendis periculis alacritatem, tantam in obediundis fortitudinem, tantam in conficiendis conſtantiam, vt modò experiri animum, modò exercere virtutem, caſtris, acie, oppugnandis vrbibus velitis, omnia ſemper ex voluntate, expectatione voto veſtro habeatis & experiamini. *Hactenus etiam Cæſar.*

Qua in re, ſi te quoque ſæpius exercueris, liberius deinde relicto (vt dicitur) nido volare, tuoq́ arbitratu hac illac arripere iter, & ſine exemplo multa exempla conficere poteris. Sed illud quoque hic quod in omni opere ineſſe memineris, vt nunquam poſſis bene, ſi nunquam male: & ſicut digiti in citharâ ægre & cum intentione initio ponuntur, iidem poſtea ad chordas & numeros ſponte veniunt: ita hic omnia ab exercitio.

Lectori.

Mihi verò adhuc superest ad te Lector precatio & deprecatio. Illa, uti grata habeas quæ feci, atque ad legenda hæc ita accedas, vt in conuiuium, in quo licet à plerisq́ cibis singuli temperamus, totam tamen cœnam laudare solemus, neque ijs quæ stomachus noster recusat, demimus gratiam, si adsint, à quibus capitur. Altera hæc est, ne culpes nimium aut succenseas. Errores hic non paucos videbis, voces quandoq́ pro aliis positas aut mutatas, alibi demptas, quandoq́ pro bonis peius correctas, neglectam sensuum verborumq́ distinctionem, & plura alia minuta. Obtrudere alia calcographis, alia exceptoribus, amanuensibus, multa quoque & mihi imputare possum, qui si Argus fuissem, dormire in corrigendo omnibus meis oculis, & alterius potius oculo uti debueram. Tu profectò quid hic peccatur, si æquus es non reprehendes, si prudens facile deprehendes.